# NICOLAI VERNVLÆI APOLOGIA

PRO

AVGVSTISSIMA, SERENISSIMA, ET POTENTISSIMA

GENTE AVSTRIACA,

*In qua illius Magnitudo, Imperium, Virtus aduerſus eius hoc tempore Æmulos aſſeritur.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA IN ROMA

LOVANII,

Apud FRANCISCVM SIMONIS,

& IACOBVM ZEGERS. Anno 1635.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

# FERDINANDO

INFANTI HISPANIARVM,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
S. R. E. CARDINALI,
BVRGVNDIONVM ET BELGARVM
GVBERNATORI &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DVm tot vndiq; Hoſtes, SERENISSIME PRINCEPS FERDINANDE, in Auguſtiſſimam Gentem Veſtram Auſtriacam arma mouent, ſumpſi calamum & ſtylum ſtrinxi. Ita debui ſubditus, & Catholicæ Maieſtatis in hoc Belgio Hiſtoriographus. Vt nimirum dum in Martiali Campo potentiſſima Gens veſtra victricibus armis Hoſtes ſuos



Digitized by Google

profligat, ego Scriptores illos, qui eius MAGNITVDINEM, IMPERIVM, ET VIRTVTEM ſcriptis dilacerant, ſtylo confoderem. Arma non aliunde, quàm ex ipſo Veritatis & Rationis Armamentario, deprompſi. Neque adulari volui, nec debui in tanto Argumento, &, vt ingenuè dicam, neſcio. Veritatem oſtendi, quam audire, qui veſtræ Gloriæ inuident, non poſſunt. Illa mentem meam & calamum duxit; non Affectus, qui animum ſæpè tranſuerſum agit. Et, niſi fallor, eâ duce GENTIS AVSTRIACÆ MAGNITVDINEM ratione aſſerui; IMPERIVM ex Hiſtoricorum fide legitimum, & ſupra Inuidiam, oſtendi; VIRTVTEM à calumnijs vindicaui.

Digitized by Google

cauí. Ita vobis pugnantibus otioſus non fui,& calamo pro vobis pugnaui. Si quæ victoria eſt, SERENISSIME FERDINANDE, tota illa ſit Tua, & hoc, qualecunque Induſtriæ meæ monumentum, Æternæ Gloriæ Tuæ dicatum, patere ad Trophæa iſta ſuſpendi, quæ ad Nortlingam proſtratis Suecis Tibi erexiſti,& in Belgio iam erigis. Vix enim veniſti, & vincis. Faueat conatibus tuis, totiuſque Gentis Auſtriacæ Magnus Deus, & Decus augeat. Sic voueo Louanij Nonis Sextilibus anno M. D. CXXXV.

*Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ*
*Humillimus & obedientiſſimus*
*Cultor, Cliens, ſubditus,*
NICOLAVS VERNVLAEVS.



Digitized by Google

# INDEX CAPITVM
## huius Apologiæ.

Caput *I. Occaſio huius Scriptionis ſeu Apologiæ.* paginâ 1
*II. De Potentia Gentis Auſtriacæ.* pag. 4
*III. De Imperio Romano-Germanico, ſeu de ſuprema Imperij Maieſtate in Auſtriaca Familia iam à ducentis ferè annis reſidente.* pag. 21
*IV. De Iure, quo Prouincias ſuas Auſtriaci Principes obtinent, & inprimis de Prouincijs Auſtriacis in Germania.* pag. 46
*V. De Prouincijs Auſtriacorum Principum in Belgio.* pag. 60
*VI. De Prouincijs Auſtriacorum Principum in Hiſpania.* pag. 72
*VII. De Prouincijs Principum Auſtriacorum in Italia.* pag. 81
*VIII. De Prouincijs Principum Auſtriacorum in Indijs.* pag. 94
*IX. Reſponſio ad prætenſum Ius Francorum in quaſdam Principum Auſtriacorum Prouincias.* pag. 107
*X. Leges pacis ſæpiùs inter Hiſpanos & Francos initæ, ex quibus conſtat Francos ſuo in*
*quaſdam*

Digitized by Google

*quaſdam Auſtriacorum Prouincias Iuri ceßiſſe.* pag. 136

*XI. Francorum rationes, quibus fœdera inter ſuos & Hiſpaniæ Reges inita, irrita eſſe contendunt, & ad illas reſponſio.* pag. 146

*XII. De Monarchiæ totius Europæ cupiditate, quæ Auſtriacis affingitur.* pag. 160

*XIII. De graui ſubditorum oppreßione, quæ falsò Auſtriacis Principibus imponitur.* pag. 182.

*XIV. Nonnullæ obiectiones contra Principum Auſtriacorum Politicum regimen, & ad illas reſponſio.* pag. 207

*XV. De bonorum Eccleſiaſticorum ab Hæreticis occupatorum in Germania Repetitione.* pag. 219

*XVI. De Bello aduerſus Batauos.* pag. 247

*XVII. De zelo Auſtriacorum pro Catholica Religione retinenda.* pag. 292

Digitized by Google

## AVTHORIS DISPOSITIO
*Circa Priuilegium.*

EX Priuilegio mihi à Rege Catholico Principe noſtro conceſſo, poteſtatem facio FRANCISCO SIMONIS, & IACOBO ZEGERS Typographis & Bibliopolis Academiæ Louanienſis excudendi atque euulgandi *Apologiam meam pro Auguſtiſſima, Sereniſſima, potentiſſima Gente Auſtriaca aduerſus eius hoc tempore Æmulos*, idque ad Sexennium; alijs editionem in his Belgicis Prouincijs Diplomate Principali inhibens. Louanij, Calendis Martij 1635.

NICOLAVS VERNVLAEVS *Hiſtoriographus Regius, & publicus Eloquentiæ Profeſſor.*

NICOLAI

Digitized by Google

# NICOLAI VERNVLÆI APOLOGIA PRO SERENISSIMA GENTE AVSTRIACA ADVERSVS EIVS *Hoc tempore Æmulos.*

---

## CAPVT I.

### *Occaſio huius Scriptionis ſeu Apologiæ.*

GENTIS AVSTRIACÆ Maieſtatem magnitudinemque multi hoc tempore non ferunt; eius gloriæ plurimi inuident. In eam voce, vel ſcripto debacchari, hoc eſt illis Oratorem eſſe; eius ruinam & ſubuerſionem quærere, hoc eſt

*Multi Auſtriacis inuident.*

A Politi-

Politicum eſſe. Id verò nec nouum, nec inauditum. Omni æuo virtutem inuidia, potentiam æmulatio comitata eſt. Vix extulerat auguſtiſſima illa Gens in Germania caput, & quaſi in cunabulis apparebat, ſenſit æmulos; prorſus velut nefas eſſet virtute creſcere. Paulò pòſt vbi continuâ ferè Septemuirorum electione ſupremam Imperij dignitatem ſuâ in Domo obtinuit, & tot Prouinciarum acceſſione potentiam aliquam oſtendit, hoſtes armatos experta eſt; quaſi, quod hominum voluntas electionis decreto, vel Naturâ hæreditatis aut connubij iure offert, piaculum eſſet acceptare. Sed inuidia modum non habet. Quæruntur toto orbe Auſtriacis hoſtes, & in eorum ruinam fœdera ſanciuntur, iunctiſque armis ac dolis conſpiratur. Ne qui deſint, publicis libris claſſicum canitur, ad arma, ad libertatem clamatur, tanquam ſub Auſtriacæ Gentis potentia gemeret mundus, & infra Fortunam eius omnium metus eſſent. Adhibere fidem libris eiuſmodi homines poſſent, niſi in ijs plus verborum & ſententiarum venuſtatis eſſet, quàm veritatis. Indignum ſanè eſt, ſub tam pulchris Eloquentiæ floribus, tam multum veneni latere;

*Et quidem ab ortu eorum.*

Digitized by Google

tere; turpe verò etiam calumniando famam aliquam aucupari. Enimuerò tantæ æmulationis cauſas libet inquirere, examinare, diſcutere. Ac, niſi fallor, potiſſimùm ſunt hæ.

*I. Magna nimis Auſtriacæ Gentis potentia.*
*II. Imperium in ea iam ab annis ferè ducẽtis Iure quaſi hæreditario continuatum.*
*III. Alienarum Prouinciarum vſurpatio.* **Cauſæ inuidiæ ſeu æmulationis.**
*IV. Monarchiæ totius Europæ cupiditas.*
*V. Grauis Subditorum oppreſſio.*
*VI. Bonorum Eccleſiaſticorum in Germania ab Hæreticis occupatorum repetitio.*
*VII. Bellum aduerſus Batauos.*
*VIII. Zelus pro Catholica Religione retinẽda.*

Plures comminiſcuntur, qui Auſtriacis non fauent, &, vt ſuam inuidiam tegant, cauſæ alicuius prætextu ſumpta à ſe arma defendunt. Quamquam ſi verum fateri volumus, vt bello quiſpiam petatur, ſatis eſt Auſtriacum eſſe; plus quàm ſatis, virtute, potentiâ, Imperij amplitudine florere. Ita crimini tribuitur, quod virtutis excellentiæ adſcribi deberet. Imò quia aliorum gloriæ officere Auſtriacorum magnitudo putatur, aut tollenda eorum Gens eſt, aut in ordinem redigenda. Sic iudicant, qui



Digitized by Google

illis inuident;& vt poſſint, Gentium omnium pacem turbant, Eccleſiam ac Religionem in vltimum ferè diſcrimen adducunt, Barbaros in Chriſtianum Orbem euocant. Adeò nihil illis aut parum eſt Catholicam Fidem euerti, modò Auſtriaci non ſint, aut de ſuo faſtigio cadant. Etiam luſus quidam eſt, incendio cuncta vaſtare, innocentium ſanguinem Dijs Manibus litare, ſacra polluere, diuina iuxta & humana iura euertere, modò in omnium ruinis & genus & nomen tantæ Gentis ſepeliatur. Pluſquam humanum hoc odium eſt, & inuidia hominibus indigna, cuius quia cauſas prætexunt, quas propoſuimus, eas ad Rationis & Veritatis ſtateram ponderemus. Iudicet orbis vniuerſus. Neſcit hic calamus mentiri, neſcit adulari; Veritati ſcribit, & illi ſoli obligatur.

*Occaſio ſcriptionis.*

## CAPVT II.

### *De Potentia Gentis Auſtriacæ.*

POliticorum quorundam eſt axioma. *Id agendum ne rerum omnium ius, ac poteſtas ad vnam aliquam familiam perueniat.* Rationibus illud tuentur. Et inprimis, omnium creſ-

*Politicæ rationes*

cere

cere pericula, cùm nimium Regis alicuius vires augentur. Deinde contineri eum ab iniuria alijs inferenda non poſſe, qui plus, quàm cæteri omnes, poteſt. Magnam etiam Fortunam ſine multorum exitio non conuelli. Addunt & authoritates & exempla. Perſeus Philippi filius, Macedonum rex id agendum Rhodijs eſſe dicebat, ne omnium rerum poteſtas ad vnum populum Romanum perueniret. Quippe regnum vnum occupatum gradus eſt ad aliud, & finem ambitio regum neſcit, cùm ſucceſſu proſpero gaudet. Hanc ob cauſam Conſtantinopolitani olim Imperatores omnem nauarunt operam, vt Siciliæ regnum à Neapolitano diſiungeretur, ne formidanda alijs vnius poteſtas eſſet. Ætoli cùm auxilium ab Antiocho peterent, vt author eſt Liuius, monuerunt, ad fidem Maieſtatemque regiam pertinere, ſocios Ætolos iuuare, ne ijs extinctis in Aſiam Romani totis viribus irruerent. Planè Principes alienæ potentiæ incrementum non ferunt, & quæ ſupra aliorum Fortunam eſt, ſuſpecta eſt. Ideò Coſmus Medicæus Princeps Florentinus, quantum potuit, ne Ducatus Mediolanenſis ad Venetos perueniret, laborauit; quod cum

*contra magnam vnius Gentis potentiam.*

*Exempla.*



Digitized by Google

eo contineri non poſſent, quin ad Italiæ totius Imperium aſpirarent. Leo quoque Decimus, & Clemens Septimus Pontifices, cùm viuerent, adnitebantur, vt idem ille Ducatus in Ludouici Ducis Familia conſeruaretur, vel cuiuis potiùs priuato traderetur, quàm in Gallorum, vel Hiſpanorum poteſtatem deueniret, quorum potentia, vt exiſtimabant, intolerabilis eſſet euaſura. Quid dicam de Henrico Quarto Franciæ Rege? Is cùm intellexiſſet Sabaudiæ Ducem aſtu quodam pænè Geneuam occupauiſſe; *Si occupauiſſet*, inquit, *die ſequenti eum intus obſediſſem.* Adeò metuunt Principes, ne alterius vicini nimiùm excreſcat magnitudo. Neque tamen tantus inde metus eſt, quanta inuidia, dum Principes ſe inuicem non virtute, ſed potentiâ metiuntur. Magnus ille in Batauia Politicus Barnaueltius ſic omnia agenda dicebat, vt Hiſpanus decreſceret, Francus non creſceret. Ita illi aduerſus magnam aliquam potentiam ratiocinantur.

*Non metum, ſed inuidiam eſſe.*

Et verò Auſtriacæ Gentis vires iam ſupra Fortunam eſſe aiunt, omniumque aliorum metus, niſi caueatur, infra eius potentiam futuros, quæ tanta eſt, vt nec maior olim Romanorum fuerit, nec

rit, nec vllorum hodie Principum ſit, aut Regum. Orientem enim vnâ, Occidentem alterâ manu tenere videtur; & ille temporum Sol parens, dum alijs occidit, ſemper in aliqua Gentis Auſtriacæ Prouincia oritur, & diem facit. Noctem neſcit tantum Imperium, quod alicubi diem ſemper habet. Si conſideremus Germaniam, in ea Ferdinandus Secundus Auſtriacus, præter Hungariæ Bohemiæque regna, Auſtriam, Dalmatiam, Croatiam, Sclauoniam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Morauiam, Sileſiam, Luſatiam, Wirtembergam, Ergouiam, Tyrolim, Alſatiam, opulentas omnes & amplas Prouincias poſſidet, ſuoque Imperio complectitur. Et quamquam inter Principes Auſtriacos eæ aliquando regiones diuidantur, tanta tamen concordia eſt, vt omnium ſit, quod ſingulorum eſt, & plurium opes vnius familiæ potentiam conſtituant. Adeòque qui Principem vnum ex hac Domo laceſſit, omnium potentiam irritat, & tactâ hac catenâ ſingulorum in ſe vires attrahit. Accedit Imperium, in quo idem Ferdinandus hodie poſt tot Auſtriacos conſtitutus Imperator, tantæ dignitatis acceſſione mirum quantum hæreditariam

*Quanta ſit Auſtriacorum potentia.*

*In Germania.*

*In Imperio.*

tariam

tariam potentiam auget, & Germaniæ viribus
*In Hiſpania.* hoſtes ſuos deterret. Si in Hiſpaniam oculos conijciamus, ea tota in tot regnorum amplitudine Philippo Quarto Regi Auſtriaco paret, & ſuis viribus Regis ſui Monarchiam tuetur. Bellatrix illa Hiſpania, viris armiſque nobilis, tot exercituum ſeminatrix, Indiæ vtriuſque & noui Orbis domitrix, non paruam exteris formidinem incutit.
*In Italia.* Si in Italiam nos conuertamus, hîc Sicilia, Sardinia, Neapolis, Ducatus Mediolanenſis Auſtriacos ſub Hiſpano Faſces agnoſcunt, & vires ſuas facilè per Alpes & Tyrolim Auſtriæ coniungunt.
*In Belgio.* Quid, quod Burgundia Belgiumque, fortiſſimæ & verè militares Prouinciæ, ac certiſſimum Hiſpaniæ Regis patrimonium, Auſtriaci iuris ſunt? Quid, quod idem Rex ita in multis Africæ Aſiæque locis dominatur, vt illi compedes, huic frænum inieciſſe videatur?
*In Indijs.* Iam vtraque India Orientalis & Occidentalis, illa America, ille nouus & Romanis incognitus Orbis per Hiſpanum ab Auſtriacis legem accipit. Magnum ſanè tantæ potentiæ incrementum, niſi fontem potiùs dicamus, vnde illa ingens vis auri quotannis promanat, quo tot in Europa Prouinciæ regnáque ditantur,

Digitized by Google

ditantur, defenduntur, in Auſtriacorum obedientia fideque retinentur. Hic Monarchiæ Hiſpanicæ neruus eſt, etſi ipſa per ſe potens ſit Hiſpania, auri, & aliarum opum feraciſſima. Neque alia porrò eſt Hiſpani, quàm Gentis totius Auſtriacæ potentia. Sicut enim vinculo quodam & cognatione inter ſe continentur, ita ex tot prouinciarum opibus vna vnius Gentis potentia eſt. Vires, vbi & quando opus eſt, iungunt; vnius hoſtis omnium hoſtis eſt; qui vnum inuadit, totius Familiæ vim ſentit. Non exiguum etiam pondus ad hanc potentiam adferunt ij Principes, qui huic Genti obnoxij ſunt, aut quorum illa patrocinium ſuſcepit.

Verùm talis ac tanta Gentis Auſtriacæ potentia ſuſpecta eſt, quaſi ab illa omnes mox ſint opprimendi. Et hinc tot publica aduerſus illam fœdera, tot tacitæ conuentiones, tot virium coniunctiones. Si claſſem aliquam, aut terreſtrem expeditionem Imperator vel Hiſpanus adornet, ſtatim plurimæ gentes & Principes arma induunt, ſalutemque ſuam cum eorum incolumitate coniunctam arbitrantur, quos Auſtriaci bello petierint. Proinde alij milite, alij pecuniâ, alij vtroque modo auxilium *Suſpecta eſt Auſtriacorum potentia.* *Quas ob cauſas.*

præſentant. Neq; de belli, aut eiuſmodi auxilij iuſtitia deliberatur, ſed bellum aduerſus Auſtriacos neceſſarium eſſe omnes proclamant, vt eo, tanquam cauterio quodam, nimiæ opes exhauriantur, & potentia frangatur. Nec referre, aiunt, vtrùm iuſto bello ſua Auſtriaci repetant, aut ſubditos quoſdam ſuos ad officium obedientiamq́ue reuocent; commune omnium periculum pro ratione eſſe, ne nimirum aliorum ruina ſequatur, cùm tot Regnis ſuis ac Prouincijs vna illa Gens cæteris potentior fruetur.

*A Deo eſſe Auſtriacorum potentiam.*

Venio nunc ad rem. Atque inprimis vtinam Chriſtiani orbis Principes Monarchiæ huius vim potentiamq́ue non opum apparatu, aut Imperij amplitudine, ſed altiſſimâ Dei prouidentiâ immutabiliq́ue decreto, quo gubernare vniuerſum hòc inſtituit, æſtimarent. Meruit Auſtriacæ Gentis virtus, vt tantam in terris potentiam obtineret; ita voluit Deus, ita decreuit, ita patitur. Neque eſt, qui diuinum hìc fauorem non agnoſcat, cùm non armis, ſed iure; non violentâ vſurpatione, ſed hæreditate vel affinitate in tantam tot regionum latitudinem hæc auguſtiſſima Gens ſeſe diffuderit. Quis inuideat illi, quod decreto Diuinæ

Maieſtatis

Digitized by Google

Maieſtatis accepit? Quis turbare aut euertere potentiam illam bello præſumat, quam in orbe conſtituit idem ille Deus, qui interruptam elementorum compaginem concinnauit? Si inſania eſt ſitum & ſtationem elementorum commutare velle, certè imprudentia eſt & impius conatus, id artificio Politico vel humanis viribus ſubuertere velle, quod diuinâ conſtitutum eſt voluntate. Quod ſi non ab hominibus, ſed à Deo ſunt Regna, & per eum Reges regnant, vt diuinum Oraculum pronuntiauit, non poteſt non ab eodem eſſe tanta, quanta eſt, Auſtriacorum Imperiorum magnitudo; cui obniti nihil aliud eſt, quàm æternæ prouidentiæ reſiſtere. Sed fruſtrà. Diuina decreta humanis ſanctionibus non reſcinduntur, & aduerſus cœleſtem prouidentiam hominum fœdera nihil poſſunt. Imbecilles ſunt mortalium vires, nec quicquam vllo apparatu proficiunt, ſi aliud in cœlo ſit decretum. Inquieta illa & inſatiabilis alios turbandi cupiditas ſuo ſanguine ferè ſemper extinguitur. Nec impunè Principum populorumque pacem turbare licet; quippe fatum ſibi accerſit, qui in aliorum fata ſolo furore vel inuidiâ ruit. Non eſt equi-

*Fruſtra quoſdam contra eam niti.*

dem immortalis Auſtriaca Gens; vt orta eſt & creuit, ita occidet, cùm viſum illi erit, qui excitauit. Stabit tamen incolumis, & ſupra inuidiam odiumque poſita vigebit, quamdiu in ea pietas & iuſtitia florebunt. Deus eſt, qui ſceptra transfert & diademata mutat, cùm peccata iuſtam eius iracundiam irritant; non arma mortalium, non rebelliones ſubditorum, non coniuratorum ſocietates & doloſæ machinationes.

*Neceſſariam eſſe contra Turcas.*

Quid ſi verò etiam neceſſaria mundo Auſtriacæ Gentis potentia eſt? Cùm apud Turcas Otthomannicæ Domus Imperium ſupra potentiam humanam ferè ſit, expediebat profectò, vt apud Chriſtianos par illi potentia aliqua reperiretur. Atque hæc eſt Auſtriacæ Familiæ potentia anno ſupra milleſimum ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo diuinitus in terris excitata, vt exorituræ anno milleſimo trecenteſimo Otthomannorum Familiæ ſeſe opponeret, & meliorem Europæ partem ab eius impio dominatu conſeruaret. Ideò Turca magnitudinis ſuæ & armorum limitem inuenit, quia in Auſtriacos & eorum affines impingit. Omninò ergò, qui tantum opum & virium illis inuident, ij aut tot Chriſtianarum Prouinciarum

ciarum

Digitized by Google

ciarum incolumitatem non ferunt, aut nobis immane iugum & duriſſimam ſeruitutem exoptant.

Quamquam ſi nullus eſſet Europæ noſtræ ab impijſſimis illis Turcarum Imperatoribus, metus, (quæ felicitas optanda fortaſſis potiùs eſt, quàm expectanda) adhuc tamen neceſſaria Reipublicæ Chriſtianæ Auſtriacorum magnitudo eſt, vt immanium Hæreticorum furor retundatur. Nullam ipſi, niſi illorum, potentiam reformidant, & hodie ſiſti ſuorum armorum curſum, quia Auſtriaci ſeſe illis opponunt, vident & dolent. Hi enim hoc tempore propemodum ſunt ſoli, qui Religionis Catholicæ tutelam ſuſcipiunt, & Romanam Eccleſiam ſuo patrocinio complectuntur. Non illis opes ſunt ad ſuperbiam, ſed ad Eccleſiæ defenſionem; non ad Chriſtianorum Principum formidinem, ſed ad hoſtium Hæreticorum terrorem. Vt illos iuuent, & hos reprimant, quicquid à diuina benignitate ſunt conſecuti, profundunt. Magna vis opum eſt in auguſtiſſima illa Gente, ſed pænè plus ſumptuum tot expeditiones militares exigunt, quas aduerſus tot Religionis hoſtes ſuſcipere quotannis

*Contra Hæreticos.*

*Sua contra Hæreticos conſumit.*

annis ferè cogitur. Pacem ipſa nunquam habet, vt pacem Chriſtianis omnibus ſemper procuret. Quidam ſuorum regnorum opes exhauriunt, vt Hæreticis ſuppetias ferant; Auſtriaci, vt illos opprimant, nihil ſibi relinquunt. Amant victorias, ſed quibus de hoſtibus ſuis Eccleſia triumphet; & dum vnum illis votum eſt, vt Chriſti in terris Imperium ſtabiliatur, latiùs Religionis fines, quàm regnorum ſuorum terminos extendunt. Fidem temporum teſtem appello; an non hodie aut nulla, aut miſerè afflicta in Europa eſſet Religio Catholica, ſi tanta Auſtriacarum opum vis non eſſet? Quam ob cauſam etiam ij, qui Hiſpanos ferre non poſſunt, orbi tamen ad Religionis conſeruationem neceſſarios eſſe dicunt. Eos ſi tollas, & Auſtriacos Principes, de Eccleſia Hæretici, & Barbari triumphabunt. Id agnoſcens Gregorius Decimuſ-tertius Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis magnitudinem Reipublicæ Chriſtianæ neceſſariam eſſe iudicabat. Atque idcircò Chriſtiani Catholicique nomine indignus eſt cenſendus, qui eam Auſtriacis potentiam inuidet, aut ſubuertere bello contendit, quâ illi ad conſeruandam Ec-

cleſiæ

cleſiæ incolumitatem vtuntur, & quam in debellandis Religionis Apoſtolicæ hoſtibus conſumunt.

Iam verò ſi nihil eſt in Auſtriaci Imperij amplitudine, quod non hæreditate legitimâ vel affinitate adierunt, quænam, obſecro, iura, vt de ſuis regionibus deturbentur, concedunt? Certam ratamque bonorum ſuorum poſſeſſionem vnicuique leges aſſerunt, & graſſator eſt, qui inuadit, & latro, qui quicquam decerpit. Imò in laqueum, in crucem, in gladium incurrit, qui vim infert, & ſanguine culpam eluit, qui aliena rapiendo contraxit. Hâc legum ſeueritate hominum ſocietas conſtat, nec ſtabunt vrbes, ſi eiuſmodi improbitatem gladius non coërceat. Enimuerò quod ciui adimere nefas eſt, eripere Regibus non licet. Vna Iuſtitia eſt, vnum Ius, vna Æquitas; ac tantum vnicuique ſeu priuato, ſeu Principi, ſeu Reipublicæ leges permittunt, quantum iuſto titulo poſſidet. Vnde non immeritò togatæ Philoſophiæ Princeps Alexandrum Magnum, quod quietas ſine cauſa Gentes ſuis armis infeſtaret, terrarum Orbis prædonem appellat. Verè enim & prædo, & publicus graſſator eſt, qui alienas Prouin-

*Iuſtè quæſitam eſſe.*

*Nihil illi detrahi iure poſſe.*

Digitized by Google

Prouincias potenti exercitu nequaquam laceſſitus inuadit, aut premit. Sed fortaſſis priuata iura Maieſtatem non conſtringunt, & Ratio Status Iuſtitiæ monita non audit. Quid verò aliud hoc eſt, quàm publicum latrocinium exemplo ſancire? quàm rapinas & vaſtationes iubere? quàm Reges Iuſtitiæ, cuius eſſe cuſtodes debent, euerſores conſtituere? Neque enim minus ciui cuipiam fas erit alienum patrimonium rapere, quàm Principi alterius ditionis vrbem aut regionem occupare. Demus tamen Politicis iſtis, qui ſcientiæ plus habent, quàm conſcientiæ, Rationem Status neceſſàrium eſſe Imperantibus omnibus inſtrumentum. An vt iuſtitiæ decreta violent? vt legibus vim armatam inferant? vt cuncta euertant, & omnium tranquillitatem perturbent? Barbarorum eſt id cogitare, Impiorum velle, Tyrannorum facere. Equidem, inquiunt, incolumem ſtare iuſtitiam volumus; at magna nimis Auſtriacorum potentia eſt. Agite an non etiam magna Turcicorum Imperatorum eſt? Cur illis, non his inuident? Illi Chriſtiani ſunt & Chriſtianorum protectores, hi impij, Barbari, & Chriſtianorum hoſtes; illis bella indicuntur,

*Ne quidem per rationem Status.*

*Non magis ſuſpectam eſſe debere, quàm Turcarum.*

vt de-

vt decreſcant, cum his fœdera ſanciuntur, vt creſcant. Suſpecta Auſtriacorum magnitudo eſt, ſuſpecta tot Turcarum Imperia non ſunt. Ita iudicant, qui inuident; ita ſtatuunt, qui oderunt. Tanta horum affectuum vis eſt, vt Rationem animo excludant, Iudicium obnubilent. Dicam amplius; metus ab Auſtriacorum magnitudine eſt, ab Hæreticorum creſcente potentiâ nullus eſt metus. Quamobrem quæſo? Quia ſcilicet illi Chriſtiani ſunt; hi Chriſtianæ Eccleſiæ hoſtes. Niſi fortè potiùs, quia illi Auſtriaci ſunt, quorum nomen Gentium quarundam inuidia ferre non poteſt, vt meritò vel idcircò magnam Auſtriacæ Gentis potentiam eſſe dicamus, quia inuidos habet. Sed quis ille tandem pectorum Chriſtianorum furor eſt, potentibus auxilijs Hæreticorum res augere, eorum indigniſſimæ ſeruituti vrbes Catholicas & Prouincias ſuo milite & ære ſubijcere, aliorum decrementis eorum incrementa deſiderare, vt vna tam auguſta, tamque Catholica Gens in ruinam trahatur? Quaſi verò id Eccleſiæ expediat, vt potentes ſint Hæretici, imbecilles Chriſtiani. Ignorant, qui ita conſtituunt, Hæreticorum indolem, ſemper



Digitized by Google

ambitioſam, ſemper arrogantem, nunquam fidam. Blandiuntur illi, dum in anguſtijs ſunt; adulantur dum alieno auxilio indigent; vbi caput extulerint, & timeri poterunt, pro auxilio odium & vim rependent. Nunquam Chriſtiani Principis amicitiam Hæreticus Caluiniſta colet, niſi miſer, & tum adhuc tantùm ſimulabit. Laruam habet Hæreſis in vultu, fel & venenum in corde; vultum mutat, cor nunquam. Ex ore ſæpè mel exundat, & ex oculis faces amoris; ſed inſpice ſodes animum, & cum ore cumque oculis conſentire negabis. Inhiat illa Chriſtianorum Regnis, vt in eorum ruinis ſua vexilla figat, & in Rerumpublicarum liberarum fundamentis Monarchiarum faſtigia ſepeliat. Vnicam libertatem amant Hæretici, nec tam vt pro libidine viuant, quàm vt Regna & Principatus euertant, perque eorum ruinas de Eccleſia triumphent. Et adhuc exiſtunt, qui eorum conatibus fauent, qui defendunt, qui iuuant, non illorum amore moti, ſed Auſtriacorum odio vel timore concitati.

*Mores hæreticorum.*

Reſtat vt ex animis quorundam timorem, ex mentibus ſuſpicionem tollamus. Vnus eſt hîc timor, ne Auſtriaci rerum omnium in Europa



Digitized by Google

ropa poteſtatem ſibi vendicent; ſuſpicio eſt, ne tantis tot Regnorum viribus inſtructi ab iniuria alijs inferenda contineri non poſſint. Sicut autem inanis eſt timor, ita vana ſuſpicio. Sunt Catholici, iuſti, pij Principes Auſtriaci, qui in Franciæ, Angliæ, Daniæ, aliorumque Regnorum Coronas nullum ſibi ius eſſe ſciunt, & cùm pacem cum omnibus habeant, nunquam illam, niſi vltrò laceſſiti, turbabunt. Verita eſt aliquando Italia ne ſi Hiſpanus Inſubriâ, Neapolitano, Siculoque Regno potiretur, tota ſimul opprimeretur; potitus eſt Hiſpanus, & centum propemodum annis Italia incredibili & nunquam antè cognitâ ſibi felicitate gauiſa eſt. Adeò non ſemper ingens Familiæ alicuius magnitudo aliorum eſt oppreſſio. Auſtriaca illa Aquila placidiſſimo alarum remigio ſubiecta ſibi Regna moderatur, nec in quenquam inuolat, ſed ſuos tantùm tuetur. Neque eſt Auſtriacorum opprimere, ſed oppreſſos ſubleuare, iacentes erigere, miſeros iuuare. Sciunt iactantis eſſe ingenij, vt Auguſtus Cæſar aiebat, ob triumphalem pompæ ſuperbiam & lauream corollam ciuium vitam ac ſecuritatem velle periclitari. Id verò ſemper agunt, vt cauſæ belli-

*Nihil timendum ab Auſtriacis.*

que à ſe ſuſcepti, cùm opus eſt, æquitate ſuis à partibus Deum habeant. Pacem hoc tempore cum omnibus colunt, & verò etiam iniuriâ laceſſiti, arma non mouent. Non id ignorant quidam Principes, qui in hanc Gentem iniuſtè incurrerunt, & hactenus vindictam non ſenſerunt. Tanta Gens non leui ictu mouetur, & parcere mauult, quàm vlciſci. Creſcere ex aliorum ruinis non optat, quæ pæne plura à Deo accepit, quàm auſa fuiſſet optare. Dedit ille incrementum ſat magnum, nec armis, ſed Iure; vt intelligerent Auſtriaci vnicum magnitudinis ſuæ Authorem eſſe Deum, non bella aut arma ſua. Atque idcircò nihil timere Regno ſuo Francus poteſt, nihil alij, qui tam diu firmam ditionum ſuarum ſecuritatem experientur, quamdiu nihil aduerſus Sereniſſimam hanc Gentem dolo vel armis machinabuntur. Poterunt etiam ab eadem auxilium toties expectare, quoties iuſto bello contra hoſtes ſuos implorabunt. Fuerint timendi olim alijs Romani, formidandus Alexander Magnus, terribiles & Aſſyrij & Perſæ; conferri cum ijs Auſtriaci non debent, qui quemadmodum Chriſtianiſſimi ſunt,

*Fruſtra Ethnicorum exempla allegari.*

Digitized by Google

ſunt, ita Iuris & æquitatis obſeruantiſſimi, & ab iniurijs inferendis alieniſſimi. Non illi Ius in armis ponunt, ſed à cœlo accipiunt; & quem ſciunt animorum ſuorum inſpectorem Deum, eundem iniuſtorum armorum vindicem timent. Amplius eſt illis iuſtitiâ excellere, quàm Imperio; illud in Regum poteſtate eſt, hoc non niſi à diuino fauore. Sit ergò Magna Auſtriacæ Gentis potentia, & quia à Deo eſt, quia orbi Chriſtiano aduerſus Turcas & Hæreticos neceſſaria, quia Iure, non armis acquiſita, nec ad aliorum perniciem, ſed Eccleſiæ & omnium Chriſtianorum ſalutem, nemo inuideat, nemo laceſſat, nemo turbet.

## CAPVT III.

*De Imperio Romano-Germanico, ſeu de ſuprema Imperij Maieſtate in Auſtriaca Familia iam à ducentis ferè annis reſidente.*

NOn minoris inuidiæ eſt continuatum in Auſtriaca Familia iam ab annis ferè ducentis Imperium. Mouet hoc quibuſdam ſtomachum, & quemadmodum Gentis huius



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

potentiam non ferunt, ita nec Imperij gloriam. Bilem ſuam nouis quotidie libris euomunt, quorum vnum, aut præcipuum argumentum eſt, ad ſtabiliendam conſeruandamque Europæ tranquillitatem, eripiendum Auſtriacis Imperium eſſe. Agi omnium ſalutem, libertatem, bona denique, quamdiu hæc vna Domus imperat; nec Hæreticorum in Germania tantùm, ſed & Catholicorum. Imò & Francorum, & Venetorum, & quorumuis Italiæ Principum. Quis non videt Mercurios illos, quos non talaribus, ſed fictis ſuſpicionibus adornant, & in Europam pæne totam quotannis ablegant, vt ad Imperium ex Auſtriaca Domo repetendum omnes iunctis animis ac viribus conſurgant? Voluiſſe id, aiunt, portentoſo illo conatu Henricum Quartum Franciæ Regem, ſed fatali vno ictu impeditum fuiſſe. Idem poſſe filium eius Ludouicum Decimum-tertium, velit modò. Idipſum optare Principes omnes, aut certè debere, ſeu Catholici ſint, ſeu Proteſtantes Sectarij. Eligi Imperatorem ex omnibus Germaniæ Principibus oportere, non ex vna aliqua familia ſumi. Ita pridem poſt ſtirpem Carolinam in Germania receptum,

*Imperiũ Auſtriacis eripiendum eſſe.*

Digitized by Google

ceptum, ita inſtitutum ab Othone Tertio Imperatore, à Gregorio Quinto Pontifice probatum & ſupremâ authoritate confirmatum eſſe. Ab eo tempore non aliter, quàm electionis liberrimæ, non autem ſucceſſionis vllius iure, datum eſſe Imperio caput, & Germanis Monarcham. Agere id Septemuiros, ſeu Principes Electores debere, vt integrum Electionis ius, & liberam ſuffragiorum poteſtatem retineant. Nec permittendum, vt à parentibus in filios Imperium transferatur, ſed ad illum, cui voluerint, Procerum Imperij ſuffragijs deferatur. Laudandam eſſe primorum Electorum prudentiam, qui ne Saxones, aut Francones, aut Sueui Imperium ſuæ Familiæ, vel idcircò aſſererent, quod plures ſibi inuicem ex eadem Domo ſucceſſiſſent, ſeriem illam alijs ex alia Familia ad Imperij dignitatem euectis interruperunt. Adeò metuiſſe ſemper illos ac diligenter cauiſſe, ne qua hæreditatis aut ſucceſſionis in Imperio ſpecies appareret, vel à quoquam prætenderetur. Hoc conſilio Rudolphum Haſburgicum, cùm ingenij præſtantiâ, excelſi animi magnitudine, rei militaris peritiâ, iuſtitiâ, vigore corporis & firmitate commendaretur,

*Imperiū Electiuum eſſe.*

*Non permittendum vt fiat hæreditarium.*

poſt

poſt alios Cæſarem eſſe renuntiatum. Ei non Albertum Filium, ſed Adolphum Naſſouium datum ab Electoribus Succeſſorem; etſi ille, vt digniſſimus erat, Imperio poſtea eorundem Electorum ſuffragijs ſit potitus. Suffectus eſt Alberto, non filiorum aliquis, quos plurimos habebat, verùm Henricus Septimus Comes Luxemburgenſis, non tam opum amplitudine, quàm virtutum præſtantiâ commendatus. Huius coronam accepit Ludouicus Bauarus, quo poſtea abdicato, non in eius Familia Imperium remanſit, ſed ad Carolum Quartum Ioannis Bohemi filium eſt delatum; cui quanquam filius Venceſlaus ſucceſſit, eo tamen propter mollitiem ab Imperij habenis amoto, non Sigiſmundus illius frater, ſed Rupertus Bauariæ Dux & Comes Palatinus, Cæſar eſt dictus. Vt nimirum hoc modo Septemuiri liberrimæ Ius electionis conſeruarent, & non in vna, ſed in varijs Germaniæ Principum Familijs collocare ſe Imperium poſſe declararent. Atque ij cùm poſt Rupertum Imperij Faſces Sigiſmundo Caroli Quarti filio detuliſſent, iterùm eoſdem, illo fatis functo, ad Albertum Secundum Auſtriacum vnanimi con-



Digitized by Google

ſenſu tranſtulerunt. Erratum grauiter deinceps ab ijs, quod ducentos ferè per annos continuâ poſt Albertum illum Imperatorum ſerie ſupremam Germaniæ Maieſtatem in vna Auſtriacorum Familia reſidere ſint paſſi. Ita hodie vix aliquam in Septemuiris eligendi libertatem eſſe, ac nullam tandem omninò futuram, ſi diutiùs in vna illa Domo parentum Imperium filij capeſſant, aut fratres, aut agnati. Imò ſolum Electoribus nomen hoc tempore ſupereſſe, nec Electionem in ſuffragiorum libertate, ſed in cæremonia inaugurationis conſiſtere. Auſtriacos opum magnitudine ſibi Imperium aſſerere, dum aut potentiâ metum Proceribus incutiunt, aut eos quouis modo ad ſe pelliciunt. Sic illi ratiocinantur, qui Auſtriacos non ferunt Imperatores.

*Erraſſe Electores continuando in Auſtriaca domo Imperium.*

Diſcutiamus nunc tantæ inuidiæ cauſas. Et inprimis electione capi Imperium debere, non ſucceſſione, volunt. Ita inſtitutum, ita ab Othonis Tertij temporibus receptum. Hoc eorum argumentum eſt firmiſſimum, hic aries, hoc propugnaculum. At verò quis negat? Confitentur ipſi Auſtriaci, nec eorum vllus vnquam aliter, quàm electione, Imperium acceperit.

*Imperatores Auſtriacos ſemper electos fuiſſe.*



Digitized by Google

cepit. Vt fidem adhibeant etiam qui inuident, ſingulos recenſeamus, & ſingulorum electionem conſideremus. Duodecim omninò fuerunt.

*De Rudolpho Primo.*

RVDOLPHVS I. HASBVRGICVS author primus & conditor Sereniſſimæ Auſtriacæ Familiæ, cùm interregnum per annos ſupra viginti fuiſſet ac ſine gubernatore res Imperij fluctuarent, dum alij prece, alij pretio dignitatem ambiebant, anno ſupra milleſimum ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, ipſo Diui Michaëlis die, ſeu tertio Calendas Octobris, cùm ad Baſilæam in caſtris eſſet, præter omnium expectationem concordibus Electorum ſuffragijs Francofurti Romanorum Imperator eſt renuntiatus. Nihil potuit Germaniæ votis gratius accidere, nec de diuini Numinis inſtinctu dubitatum tùnc fuit. Quippe iam ante pridem cùm in Aula Frederici Secundi Imperatoris eſſet adhuc adoleſcens, futurum illum Imperatorem quidam Aſtronomus prædixerat. Et idem Virginis cuiuſdam ſacræ præſagium fuerat, quod Rudolpho ob ſingulare pietatis erga ſanctiſſimam Euchariſtiam officium Sacerdos poſtea pronuntiauit. Aquiſgrani diadema Cæ-

ſareum

Digitized by Google

ſareum accepit, & eius electionem Gregorius Pontifex approbauit confirmauitque. Atque hic eſt Imperator ille, qui hoſtibus, tyrannis, & latronibus incredibili virtute ſuperatis, diſtractas ab Imperio Prouincias recuperauit; eidemque pacem, concordiam, & antiquam gloriam ſplendoremque reſtituit. Digniſſimus tunc Magni nomine, quo illum Germania honorauit.

*De Alberto Primo.*

ALBERTVS I. HASBVRGICVS Auſtriæ Dux ab amicis ad Imperij ſpem poſt Rudolphi patris mortem excitatus, poſtquam intellexit Adolphum Naſſouium Cæſarem eſſe proclamatum, domi ſe continuit. Poſtea anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo declaratus aduerſus Adolphum Imperator, commiſſo intra Nemetes & Vangiones prælio illum ſuperauit; cùmque non omnium ſuffragijs electum ſe intellexiſſet, non priùs adire Imperium voluit, quàm Septemuiri omnes conſentirent. Igitur quinto Idus Auguſti denuò concordibus Electorum animis & vocibus eſt electus, & Aquiſgrani poſtea tanto hominum concurſu coronatus, vt ab infuſa multitudine Saxoniæ Dux opprimeretur.



Digitized by Google

Meruit hic Triumphator appellari.

De Frederico III.

FREDERICVS III. AVSTRIACVS Alberti filius cognomento Pulcher, anno ſupra milleſimum treceteſimo decimo quarto, Nonis Octobris à Colonienſi Archiepiſcopo, Palatino Rheni, & Saxoniæ Duce Romanorum Imperator eſt electus, ac cum eo aliorum ſuffragijs Ludouicus Bauarus. Coronatus Fredericus Bonnæ fuit, & à Ioanne XXII. Pontifice confirmatus. Verùm cùm neuter cedere alteri vellet, anno milleſimo treceteſimo vigeſimo ſecundo armis & aperto Marte Calendis Octobris inter Muldorffium & Dansbergam certatum eſt. Victoriam ad Ludouicum Fortuna detulit, & viuus in eius poteſtatem Fredericus venit, qui poſtea Leopoldi fratris auxilio libertati eâ lege reſtitutus eſt, vt Imperatoris nomen retineret, & pari cum Ludouico poteſtate Ureque in poſterum imperaret. Hæc pax Monachij Diplómate publico anno milleſimo treceteſimo vigeſimo quinto ſancita eſt; & ipſe Ludouicus Cæſar anno ſequenti Diplomate alio Fredericum Romanorum Regem Vlmæ confirmauit. Qui ſequuntur, continuâ ſerie Imperiale ſceptrum tenuerunt.

ALBER-

ALBERTVS II. AVSTRIACVS Sigiſmundi Imperatoris Gener, poſt eius mortem, anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo, Martij die vigeſimâ, omnium Electorum conſenſu Francofurti datus eſt Sigiſmundo, quemadmodum moriens optarat, in Imperio Succeſſor. Mirata eſt ætas illa diuinam erga illum beneuolentiam, quâ vno ac nondum integro anno Imperium, & duo potentiſſima Hungariæ Bohemiæque Regna, illud Calendis Ianuarij, hoc ipſis Maij Nonis, obtinuit. Sub mole tam ſplendentis Fortunæ poſt annum vnum & menſes decem, cùm Honorifici nomen ea tempora illi dediſſent, occubuit. *De Alberto II.*

FREDERICVS IV. AVSTRIACVS, quem nonnulli tertium dicunt, Erneſti Archiducis Auſtriæ filius, cùm è viuis Albertus II. migraſſet, Francofurti anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo Septemuirorum omnium votis Auguſtus eſt acclamatus. Coronatus poſtea Aquiſgrani, ac deinde Romæ à Nicolao Quinto Pontifice Imperij diadema ſuſcepit. Cùm nihil illi in votis magis eſſet, quàm Imperij pax, & tranquillitas, meritò Pacificus eſt appellatus. *De Frederico IV.*



Digitized by Google

*De Maximiliano. I*

MAXIMILIANVS I. AVSTRIACVS Frederici Cæſaris filius anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſexto, XIII. Calendas Martij Francofurti, ſuperſtite adhuc patre, Romanorum Rex Principum Electorum voluntate eſt declaratus, ac deinde tertio Idus Aprilis Aquiſgrani coronatus. Vbi parens fatis conceſſit, pleno iure Imperium accepit & adminiſtrauit. Alter Germaniæ Hercules fuit, & alter Auſtriacæ Familiæ conditor, cuius quia ſumma in bellis rebuſque ciuilibus felicitas fuit, Felicis nomen eſt conſecutus.

*De Carolo V.*

CAROLVS V. AVSTRIACVS Maximiliani I. Nepos, Philippi Archiducis Auſtriæ filius, anno ſupra milleſimum quingenteſimo decimo nono Francofurti vigeſimâ octauâ Iunij ſingulari Principum omnium Electorum conſenſu Imperator eſt renuntiatus. Anno deinde ſequenti Aquiſgrani ſolemni ritu Carolinam & argenteam Imperij coronam accepit. Tum Bononiæ anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ferreâ Lõgobardici Regni coronâ die vigeſimâ ſecundâ Februarij eſt redimitus, & eiuſdem menſis vigeſimâ quartâ aureum Imperij diadema à Clemente Septimo Pontifice

Digitized by Google

tifice Maximo ſuſcepit. Ambiebat Cæſaream dignitatem eâ ætate Franciſcus Primus Francorum Rex, ſed pro Carolo Procerum ſuffragia fuerunt. Et fortaſſis tunc Saxoniæ Dux, vt nonnulli volunt, pertingere ad hunc honoris apicem potuiſſet, niſi digniſſimam Imperio Caroli virtutem iudicauiſſet, maluiſſetque illi ſubeſſe, quàm imperare.

*De Ferdinando I.*

FERDINANDVS I. AVSTRIACVS Caroli V. Imperatoris frater anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo, die quintâ Ianuarij Coloniæ Romanorum Rex electus, vndecimâ Aquiſgrani coronatus eſt. Reclamabat tum quidem Saxoniæ Elector, quod contra Auream Bullam eiuſmodi Electio eſſe videretur, ſed annò posteà trigeſimo quarto Cadami in Bohemia controuerſia omnis ſublata eſt. Anno deinde milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo, cùm Carolus ſe Imperio abdicauiſſet, vnanimi Electorum omnium conſenſu Francofurti Imperator eſt renuntiatus. Pius Quartus Pontifex ratum habuit.

*De Maximiliano. II.*

MAXIMILIANVS II. AVSTRIACVS Ferdinandi I. filius anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Francofurti decimâ quartâ

Digitized by Google

mâ quartâ Nouembris conſentientibus cunctis Electorum ſuffragijs ad paternæ dignitatis ſucceſſionem vocatus publicè ſolemni ritu declaratus eſt Rex Romanorum, ac vltimo menſis eiuſdem die præſente Patre & Proceribus Septemuiris coronatus. Anno tum ſexageſimo quarto feliciſſimus Imperator eſt factus. Rarum in eo felicitatis exemplum fuit. Quippe vno ac nondum exacto anno tres coronas Bohemiæ, Imperij, & Hungariæ, quod Alberto Secundo acciderat, accepit.

*De Rudolpho II.* RVDOLPHVS II. AVSTRIACVS Maximiliani Secundi filius anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Comitijs Ratisbonæ indictis primâ Nouembris die, viuo adhuc patre, in Romanorum Regem omnibus Electorum ſuffragijs electus eſt & coronatus. Et quia in ipſis Comitijs, quaſi inter Ordinum Imperij manus, animam de Republica Chriſtiana optimè meritam Maximilianus reddidit, ſuo iure Rudolphus & Septemuirorum voluntate Imperator eſt paulò pòſt declaratus.

*De Matthia I.* MATTHIAS I. AVSTRIACVS Rudolphi Secundi frater, & Maximiliani Secundi filius, cùm ex hac vita Rudolphus Cæſar migraſſet

graſſet

Digitized by Google

graſſet anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo die tertiâ Iunij omnium Electorum conſenſu Romanorum Rex eſt proclamatus, & decimâ quartâ eiuſdem menſis ſolemni receptóque ritu Francofurti Imperator coronatus.

FERDINANDVS II. AVSTRIACVS Caroli Archiducis filius poſt obitum Matthiæ Cæſaris anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, die vigeſimâ octauâ Auguſti, quæ Diuo Auguſtino ſacra eſt, concordi Principum Electorum ſuffragio iuſtâ legitimâque ratione ac more recepto Francofurti in Romanorum Regem & Cæſarem eſt electus; nonâ deinde Septembris ſolemniter inauguratus eſt & coronatus. Hærebant nonnihil anxij Proceres, propter naſcentes in Imperio tumultus, ſed ijs componendis ſopiendiſque quâ potentiâ, quâ fortitudine prudentiâque vel maximè idoneus eſt iudicatus hic Ferdinandus. Et verò non obſcuris ſignis, quæ in tot reportatis ab eo victorijs apparuerunt, hactenus illi diuinum Numen viſum eſt fauere. Fauebit etiam deinceps, quamdiu Dei, Religioniſque Catholicæ cauſam potentibus armis propugnabit. *De Ferdinando II.*

Porrò in his Auſtriacorum Imperatorum

Electionibus quid tandem eſt non ex Imperij lege factum? Quid ex more recepto omiſſum? Eligi Imperatores debent; electi ſunt Auſtriaci. Libera electio eſſe debet; fuit Auſtriacorum liberrima. Nulla eſſe in Imperio ſucceſſio poteſt; nulla hîc fuit. Neque enim qui electione ad Imperium euecti ſunt, iure ſucceſſionis aut hæreditatis illud adierunt. Catholici Imperatores vt ſint oportet; Catholici ſunt & fuerunt ſemper Auſtriaci. Eos Germaniæ Principes eſſe neceſſe eſt; tales ſunt, & hactenus fuerunt Cæſares Auſtriaci. Metum incutere Principibus Electoribus eſt nefas, vt ſuffragijs liberrimis vtantur; nec Auſtriaci vnquam incuſſerunt, nec metu ſe elegiſſe Principes Electores vnquam dixerunt. At ex vna Domo aut Familia ſumere Imperatores non licet. Hoc verò eſt Electionis libertatem tollere. Neque enim liberum minus eſt Septemuiris ex vna aliqua Domo, quàm ex varijs, Imperatorem deſignare. Manet ſuffragiorum libertas, quamdiu Electorum authoritate Imperium occupatur, & nulla vis adhibetur.

*Electiones Auſtriacorum ſecundùm Imperij leges fuiſſe.*

Cur autem in Auſtriaca Domo tot iam annis Imperium ſteterit, quoniam tantopere non-

*Cur continuatum in Auſtria*

Digitized by Google

nonnulli non tam mirantur, quàm inuident, ca Domo
nunc dicam. Iudicarunt Electores, Imperijque Imperiū.
Principes, & Ordines ſupremam Imperij Maieſtatem ac nomen nullibi ſtare meliùs ac decentiùs poſſe, quàm in Auſtriacorum Principum Familia. Quippe cùm ad dignè ſuſtinendam Imperij dignitatem, ad hoſtibus vndequàque reſiſtendum, & ad conſeruandam Germaniæ tranquillitatem magnâ opus ſit potentiâ validiſque viribus, viderunt Septemuiri eos eſſe Auſtriacæ Familiæ Principes, qui plus opum ac terrarum in Germania, quàm cæteri, poſſideant. Hoc omnium conſiliorum caput fuit.
Nec immeritò. Demus enim aliunde hoc tempore, quàm ex Auſtriaca Domo, Cæſarem ſumi, an non ea continuò harmonia ſoluetur deſtrueturque, quâ iam per duo ſæcula Imperium ſtetit? An non Barbara illa Turcarum vis & potentia ſoluto quaſi fræno in Germaniam ſeſe effundet, quæ reprimi coërcerique aliter non poteſt, quàm ſi vires Cæſaris & Auſtriacæ Familiæ opes corpore in vno coniungantur? Arcanum hoc Imperij eſt. Quod ſi verò Eccleſiaſticorum Electorum rationes, ob quas retinendum in Auſtriaca Domo Imperium I. Ratio.

 exiſtima-

exiſtimarunt, inquiramus, non aliud diſcemus, quàm eos prudenter vidiſſe, neceſſe eſſe labi planéque concidere Religionis ſtatum non per Germaniam tantum, ſed etiam per Pannoniam aliáſque Prouincias, ſi alius, quàm ex Auguſtiſſima illa Familia, Imperator peteretur. Quod cùm accideret, commune illud damnum eorum eſſet vltima clades, & res omnis Eccleſiaſtica peſſum iret.

Maxima ſanè dignitas eſt Imperatoris, cuius Maieſtati cæteri omnes orbis Principes cedunt, & Faſces ſuos ſubmittunt; quem inſignia Imperialia, diadema, gladius, ſceptrum, mundi globus, & biceps Aquila condecorant; qui tres habet Archiepiſcopos Archicancellarios ſuos, Moguntinum per Germaniam, Treuirenſem per Galliam & Regnum Arelatenſe; Colonienſem per Italiam; cui Bohemiæ
*II. Ratio.* Rex Archipincerna eſt, Comes Palatinus Rheni Archidapifer, Dux Saxoniæ Archimarſchallus, Marchio Brandeburgenſis Archicamerarius; qui caput eſt & Dux Regum, cuíque reuerentiam Reges omnes debent, vt aliquando dixit Alphonſus Aragoniæ & Neapolis Rex ſapiētiſſimus, cùm Fredericum Tertium Imperatorem

Digitized by Google

torem Neapolim ad ſe venientem omni honoris cultu proſequeretur. At verò quæ tantam Maieſtatem in Imperio ſedes excipiat omninò nulla eſt; nec, qui eius Aulam annui reditus ſuſtentent, ſunt vlli. Nihil in Imperio Imperator poſſidet, præter authoritatem, ſplendorem nominis, & dignitatis venerationem. Quæcunque in Germania Prouinciæ ſunt, vel Ciuitates, vel arces, eæ omnes ac ſingulæ Principem ſuum, vel Magiſtratum, vel Toparcham habent, cuius lege ac diſciplinâ reguntur. Imperatorem tanquam Imperij caput agnoſcunt, reuerentur, & cùm publica neceſſitas exigit, indicta communi Imperialium Comitiorum decreto vectigalia eidem perſoluunt. Nullam interim Prouinciam aut vrbem dignitatis ſuæ titulo Cæſar occupat. Imò non vna Domus aut palatium eſt, in quo tanta Maieſtas hoſpitium inueniat; vnde fit, vt in ea honoris multum ſit, opulentiæ parum, & cum ſumma Orbis dignitate quædam quaſi coniuncta inopia videatur. Non equidem ita inſtitutum ab initio fuit; ſed quorundam poſtea Cæſarum ambitio, aut auaritia Imperij opes decoxit, diſtraxit, fauore vel pretio in alios tranſtulit. Ita nudata eſt



Digitized by Google

Imperij Aquila, & eius plumis, non pauci ſeſe exornarunt, eius exuuijs plurimi facultates ſuas auxerunt. Quod cùm ita ſit, neceſſe eſt Cæſaream Maieſtatem & Imperij caput in opulenta aliqua potentíque Familia collocare, cuius opibus dignitatem ſuam tueatur, Aulæ apparatum conſeruet, hoſtes arceat, terrorem ſeditioſis incutiat, publicum Imperij bonum procuret. Talis autem ſi vlla in Germania eſt, Auſtriaca certè eſt, Prouinciarum hæreditariarum multitudine & opum amplitudine cæteris longè potentior; quam hæretici in Imperio timent, exteri hoſtes formidant.

Quanquam quoniam Electionis libertatem in Imperio Germanico tantopere quidam vrgent, immoremur hîc adhuc pauliſper. Fateor inprimis, quod cùm Imperium in Germaniam tranſlatum eſt; viſum prudenter ſit, vt illud commune cunctis beneficium eſſet, non ad vnam aliquam Familiam alligaretur. Latiſſimum enim Germaniæ Regnum eſt, in quo multi Principes, multíque Reguli, quorum virtutibus Imperialis Maieſtatis honor, tanquam præmium, proponi debuit. Etſi verò Cæſaris Electio nonnunquam grauiſſimas diſcordias

cordias & inteſtina bella attulerit, vt alibi quoque ſolet, plerumque tamen illa Principum Electorum paucitas diſſenſiones ſuſtulit, & ſuffragiorum imparitas, quæ ferè ſemper eſt, Candidatorum ambitioni modum poſuit. At non minùs prudenter electionem ſuam Germani cum quadam ſucceſſione coniunctam eſſe quandoque voluerunt, non Iure aliquo aut lege, neque conſuetudinis præſcripto, ſed Principum Electorum prudentiâ & inſigni in communem patriam amore. Ita quamdiu Caroli Magni progenies fuit, penes eam Imperium ſtetit; quamdiu ex Ottonum familia ſtirpéque reperti ſunt aliqui, imperarunt. Ita iam ab annis propemodum ducentis Cæſarea dignitas in Auſtriacorum Domo conſeruatur, & filij parentum, aut fratres fratrum, aut agnati agnatorum ſceptrum accipiunt. Hoc in ordine nulla ſucceſſionis lex eſt, prudentia tantum eſt Electorum, qui Electioni ſucceſſionem miſcent, quod ita Imperij rebus expedire iudicent. Vt nimirum dum Imperator tranſferendum ad filium aut fratrem Maieſtatis ſuæ decus animaduertit, nihil de Imperij vigore imminuat, nihil diſtrahat, nihil negligat. Sic fit vt

*Prudenter electionem cum quadam ſucceſſione coniungi.*

*Ratio.*

Digitized by Google

fit vt Electionis incommoda vitentur, & liberrima tamen Electio ſit, nec cuiuſquam dignitas contemnatur. Ea quippe Germanorum Principum gloria eſt, quod Ius ſuum acriter tueantur, ambitioſi tamen non ſint, nec alieni appetentes. Id conſtituunt, quod è re Imperij eſſe iudicant; nec ijs cedere alteri moleſtum, cùm id exigere Patriæ ſalus videtur; imò non pauci Imperium hactenus recuſarunt, quod impares ſe tanto oneri iudicarent, aut potentiam ſuam infra Imperij Maieſtatem cenſerent. Illa eſt Gentis iſtius ſinceritas, ille amor pacis, illud communis patriæ ſtudium. Ac ne quis imperantis in Germania authoritatem aſpernetur, ſolent illi potentiſſimum aliquem & clariſſimi nominis Principem ad Cæſareæ dignitatis apicem euehere. Hanc ob cauſam Imperium ad Maximilianum Primum, & poſt illum ad Carolum Quintum detulerunt, quod animaduerterent eorum potentiam ſupra contemptum & aliorum vires eſſe, vt hoc modo Germaniæ ſua dignitas eſſet & tranquillitas. Eandem ob cauſam Ferdinandum primum, Maximilianum alterum, Rudolphum & Matthiam, hodieque Ferdinandum Secundum

Imperij

Digitized by Google

Imperij inſignibus ornarunt, quod nobiliſſimi eſſent, & ſimul potentiſſimi, atque etiam ex ea Familia, in qua ſæpè tot inter fratres & agnatos ſummus amor, ſumma concordia, ſumma moderatio eſt. Imitantur Polonos Germani; illi electionem probant, ſed ne damnis ingentibus Rempublicam ſuam inuoluant, ſucceſſioni locum aliquem concedunt, & ita prudenter moderatèque Regem ſibi quærunt, vt eligendo Hæredem non excludant. Regis vitâ functi filium non prætereunt, & in eadem Familia Regnum retinent; imò etiam prudentiam ſuam tantâ cum humanitate coniungunt, vt filiarum quoque Regiarum rationem habeant, ne affectum erga Reges ſuos mutaſſe poſt mortem videantur. Vnde fit, vt apud eos liberrima ſint Eligentium ſuffragia, & hæreditarium quodammodo Regnum appareat; quâ vnâ re Maieſtatem decúſque Regni tuentur, & pacem in Regno tranquillitatémque conſeruant. Hodie Wladiſlaus Sigiſmundo Tertio Patri datus eſt per electionem ſucceſſor; & ille vocatus ad Regnum vel idcircò fuerat, quod ex Regum Poloniæ ſtirpe per Catharinam matrem oriundus eſſet. Ante hunc ex ſtirpe Regia Hedwigis ſola

*Qualis Electio Polonorum.*

F Super-

Superſtes Iagelloni Lituaniæ Principi in matrimonium collocata fuit; & inde ex Iagellonica Familia Reges ſumpti, quamdiu in ea hæredes extiterunt. Eorum vltima cùm eſſet Anna, volente Republicâ, Stephano nupſit, factâque Reginâ Regem illum fecit. Quidni in Imperio idem fiat? Fieri ſanè poteſt, & erit tamen eligendi libertas. Nunquam meliùs Regni alicuius fines proferuntur, quàm cùm illud hæreditarium eſt. Nullum periculum aut labores reformidat, qui filio acquirere ſe, aut Familiæ credit. Nemo alijs vitam libenter, aut opes impendit.

Sit ſanè in Imperio electio, vt eſſe debet; cur tamen in eo potiùs, quàm in tot Regnis alijs, ſucceſſio damnaretur? De hæreditarijs veteris æui Regnis nihil hîc dico; hoc tempore Galli ſucceſſionem admittunt; admittunt Hiſpani, Angli, Dani, Turcæ, Perſæ, & alij minoris potentiæ Reges & Principes. Admiſit iam ab ortu ſuo Imperium. Auguſto Tiberius ſucceſſit per adoptionem filius; alij deinde Priuigni & Nepotes eodem adoptionis Iure diadema Cæſareum in Familia retinuerunt. Nec aliud primæ Hiſtoriæ oſtendunt, quàm Imperatorum filios impe-

*Fuit hæreditariũ olim imperium.*

imperaſſe, Titum, Domitianum, Cōmodum, Caracallam, Heliogabalum, Gallienum, Carinum, Numerianum, Conſtantem, Conſtantinum, Conſtantium, Gratianum, Valentinianum Iuniorem, Arcadium, Honorium, Theodoſium. Quod factum eſt tanto Imperij ſæpe bono aliquando, fieri etiam hodie poteſt; & quod Gentes aliæ nequaquam damnant, probari certè in Imperio nil vetat. Sed maneant Imperij leges, quas conuellere hoc ſcripto nec poſſumus, nec volumus; reſpondere Auſtriacorum Principum Æmulis nobis eſt ſatis.

Cæterùm, vt hoc quoque addamus, continuari in Sereniſſima Auſtriacorum Familia Imperium, eorum ipſorum merita depoſcunt. Pluſquam ſæculum vnum eſt, ex quo auguſta illa Domus totius Chriſtiani orbis murus, ſcūtum, & gladius fuit. Aſſiduum illi cum Turcis bellum, & de tantis hoſtibus multæ glorioſæque victoriæ; vna maxima, ſeruatum hactenus Imperium, paucæ clades, Religio Chriſtiana ex eorum faucibus vindicata. Terruit totam aliquando Aſiam ſolâ nominis ſui famâ Solymannus, Europam armorum ſuorum ſtrepitu concuſſit; ei verò quia ſe Auſtriaci oppoſuerunt

*Merita Auſtriacorum in Imperiū.*

ſeruata Hungariæ magna pars eſt, & liberata ab impendenti exitio Germania. Repreſſus tot eius victoriarum curſus eſt Auſtriacorum oppoſitu, & vis illa Turcarum tanquam impetuoſus quidam torrens cùm in Auſtriacam Domum, quaſi in vallum, incidiſſet, fracto impetu reſedit. Obligatam proinde Germania ſe ſentit, nec aliud conſeruandæ incolumitatis ſuæ conſilium videt, dum vndique tot imminent hoc tempore pericula, quàm ſi Imperij authoritatem & Cæſaream Aquilam in Auſtriacorum Familia de ſe tam bene merita relinquat. Macte hoc conſilio, Germania, nunquam tibi tot boni Imperatores vnâ in ſerie, quàm ex hac Familia ab Alberto Secũdo ad Ferdinandum Secundum Imperij decus ſuſtinuerunt. Det Deus, &, vt ſperamus, dabit, vt ex eadem Domo non deſint, qui ſe hoſtibus tuis opponant, & quod vendicare ſibi quidam externi Reges vellent, Imperium tibi conſeruent. Simulant alienigenæ iſti metum pro te, dum Aquilam tuam ambiunt; & dum eripere tibi Imperium contendunt, ad libertatis tuæ conſeruationem accurrere ſe fingunt. Dum armis nondum poſſunt, editis in lucem libris indigno faſtu ſuum eſſe,

*Adhortatio ad Germaniam.*

& qui-

& quidem hæreditarium Imperium aſſerunt. Sint illi ſuis diadematibus contenti, nullis damno erit in Germania Imperium eſſe; regant commiſſas ſibi à Deo Prouincias, nihil eorum Regnis decedet, ſi Cæſarea Dignitas volentibus ita Principibus tuis in Auſtriacorum Familia reſideat. Dignum eſt ab ijs Imperium adminiſtrari, qui inter Orbis Principes genere, virtute, potentiâ excellunt. Hos qui timent, aut qui illis Imperij decus inuident, ſua Regna, & Reſpublicas ſummo in periculo verſari tantùm ſimulant. Quippe tot iam annis Cæſareas Aquilas Auſtriaca Domus hactenus tenuit, & adhuc Francorum incolume eſt Regnum, ſtat Reſpublica Venetorum, ſuis ditionibus Italiæ Principes potiuntur, nihil de Germaniæ Regulorum finibus eſt detractum. Soli Auſtriacorum arma ſenſerunt Hæretici aut Rebelles, quando inquieti turbas excitarunt, & ſeditionibus Imperij tranquillitatem labefactarunt. Senſerunt & illi, qui ambitione vel inuidiâ moti inuadere per vim Imperium, aut aliquam Iuris Auſtriaci Prouinciam aliquando tentarunt. Sed ij aut rebus deſperatis in turpiſſimam fugam conuerſi ſunt, aut inter arma ſuo in ſan-



Digitized by Google

guine expirantes ambitionis ſuæ pœnas dederunt, aut vindicem Deum ſubitâ violentâque morte ſunt experti.

## CAPVT IV.

*De Iure, quo Prouincias ſuas Auſtriaci Principes obtinent, & inprimis de Prouincijs Auſtriacis in Germania.*

*Calumniæ quorundam in domum Auſtriacam.*

INuidere Auſtriacis potentiam ſuam & Imperij Maieſtatem eorum Æmulis eſt parum; erumpit vlteriùs inuidia & calumnias eructat. Quid ergò volunt? Quid dicunt? Nihil hîc fingo, pleni ſunt calumnijs iſtis malè feriatorum quorundam ingeniorum libri, & vt ſcripſiſſe non ſit ſatis, eas in vulgus ſpargunt, in congreſſibus euomunt; imò calumniando tantùm ſunt diſerti. Nihil, inquiunt, Auſtriaci Iure poſſident, alienas duntaxat Prouincias vſurpant. Quas in Germania Prouincias obtinent, eas excluſis hæredibus, aut perturbato Regnorum Iure ſibi aſſeruerunt. Italiam vi armorum inuaſerunt; Hiſpaniæ Regna confictо Iure occuparunt, Belgium vltrò ſibi vendicarunt; in Indias ſuâ cupiditate & auaritiâ inuolarunt



Digitized by Google

larunt. Quicquid in Aſia vel Africa tenent, pacatis Gentibus extorſerunt. Sic illi, & eorum opinione iniuſti ſunt Auſtriaci, nempe quia tales illos ipſi fingunt, aut certè quia dicunt. Ignaros eiuſmodi homines appellare liceret, ſi ignorare Sereniſſimæ Gentis Auſtriacæ incrementa poſſent; ea verò cùm notiſſima ſint & luce ipsâ clariora; totque Hiſtoriarum fide teſtata, adhuc tamen calumnientur, pluſquam inuidi ſunt, & ſunt maligni calumniatores. Vindicemus igitur ab hac iniuria falſiſque calumnijs Auſtriacos Principes, & quo Iure tantum Imperium ſuum totque ſubditas ſibi Prouincias adminiſtrent, doceamus. Nullum Regnum, nullam Prouinciam, nullam vrbem, quæ quidem aliorum eſſe poſſit, hactenus vſurpant; Iure omnia, & ſummo Iure tenent. Perſtringemus autem breuiter omnia, nam aliud huius argumenti volumen aliquando dabimus, ſi vitam & otium dederit Deus.

*Auſtriacos ſua omnia iure poſſidere.*

Atque vt ab ipſis Auſtriacæ Familiæ in Germania Prouincijs ordiamur, Albertus Sapiens, Rudolphi Primi Imperatoris pater, factâ cum Rudolpho fratre paternæ hæreditatis diuiſione, obtinuit inprimis Comitatum Hasburgi, Ergouiam,

*De Haſburgo, Ergouia & alijs.*

Digitized by Google

gouiam, Turgouiam, Landgrauiatum Cuſſenburgi, cum Aduocatia Thuringenſi; deinde ſuperioris Alſatiæ Landgrauiatum hoc modo eſt adeptus. Circa annum milleſimum ducenteſimum decimum octauum mortuo ſine liberis poſtremo Alſatiæ Landgrauio, qui ſtirpis erat Hasburgicæ ex Comitibus Egenheimenſibus, quorum proſapia in eo defecit, tres inter ſe de ſucceſſionis Iure & ſanguinis propinquitate diſceptarunt, Albertus Sapiens Comes Hasburgenſis, Albertus Hohenbergi ad Neccarum Comes, & Ludouicus Comes Ottingenſis. Erat Alberto Hohenbergico vnica tantùm filia hæreſque. Igitur Albertus Sapiens, vt hanc controuerſiam cum Hohenbergico finiret, eius filiam filio ſuo Rudolpho vxorem petijt & impetrauit. Vnde factum eſt vt cedēte Hohenbergico maior Alſatiæ pars in Hasburgicorum poteſtatem tranſiuerit, qui mox etiam ditionibus ſuis, cùm fatis idem Comes conceſſiſſet, Hohenbergicum Comitatum adiunxerunt. Reliquam Alſatiæ partem Ludouicus Ottingenſis Argentoratenſium Præſuli vendidit. Tantus verò omnium erat in Albertum Sapientem amor propter vitæ probitatem, conſilij promptitudi-

*De Alſatia.*

*Hohenbergo.*

ptitudinem, & Iudicij acrimoniam, vt non pauci ſtirpe clari, atque etiam nonnulli ignobiles ſine liberis decedentes, hæredem illum bonorum ſuorum teſtamento ſcriberent. Fredericus Primus Imperator Comitatum Thuricenſem, & Seckingenſem Aduocatiam, cùm ad Imperium extinctis hæredibus rediјſſent, illi contulit. Duæ illi vxores fuerunt, ac prima Hedwigis, (quam alij Heluidiam vocant) Comitis Kiburgenſis filia; altera Ida Rudolphi Comitis Pfulendorfij filia. Per has Hasburgicis Comitatus aliquot, & nonnulla Dominia obuenerunt, ita vt mortuo Alberto Sapiente filius eius Rudolphus, qui poſtea Imperator, Comes fuerit Hasburgenſis, Ergouiæ, Kiburgenſis, Rhinfeldenſis, Lentzburgenſis, Aquenſis ſeu Badenſis, Landgrauius Alſatiæ, & plurium locorum aliorum Toparcha. Acceſſit deinde Hasburgicis Auſtria hoc modo. Ottocarus Bohemiæ Rex cùm vxorem duxiſſet Leopoldi Octaui vltimi Auſtriæ Ducis filiam, & per eam Auſtriam occupauiſſet, pactus paulò pòſt cum alia nuptias, eandem repudiauit, repudiatæque dotem Auſtriam vi retinuit, & ſuam fecit. Igitur Rudolphus Hasburgicus, Alberti Sapientis

*Comitatu Thuricenſi & alijs.*



Digitized by Google

filius ad Imperij faſtigium euectus, eum ad cauſam dicendam, quod Auſtria Imperij clientale beneficium ſit, citat. Sed cùm Rex Cæſarem Imperijque Principes irrideret, Rudolphus eum ad iuſſa facienda pacemque petendam armis coëgit. Infida pax ea fuit; nam paulò pòſt Ottocarus, quaſi acceptam calumniam vindicaturus, ingentem conſcribit exercitum, contra quem mouens Imperator eum ad Laam oppidum ita cecîdit, vt cum quatuordecim virorum millibus Rex ipſe ſit deſideratus. Cæſo hoc modo Rege Rudolphus Prouincias, quas ille armis inuaſerat, recuperat, & Auſtriæ Stiriæque Albertum filium ſuum præficit. Mox cùm Comitia Auguſtæ Vindelicorum indixiſſet, ibidem ex Principum Ciuitatumque ſententia, id etiam poſtulantibus Prouinciarum Legatis, eundem illum filium Auſtriæ Stiriæque Ducem renuntiauit, & ex eodem Imperij beneficio Carniolam Vinidorumque ditionem adiunxit. Vt autem firmum illi in Prouincias iſtas Ius eſſet, vxorem ei impetrauit Meinhardi Comitis Tirolenſis filiam, cui antiquum in Auſtria Ius erat. Huic Meinhardo in Auguſtanis illis Comitijs ex Imperij

*De Auſtria.* *Stiria.* *Carniola* *Vinidorum Marchionatu.*

Ordinum

Digitized by Google

Ordinum voluntate Carinthia, Taruiſium, vicinaque loca ſunt attributa. Ita Auſtriæ Ducatus primum Auſtriacorum Principum patrimonium Iure factus eſt, in eóque interruptâ Ducum ſerie ad hunc vſque diem feliciter dominantur.

Auſtriæ adiuncta Carinthia eſt per Ottonem Hasburgicum Alberti filium, qui Stiriæ Ducatum poſt Patris mortem obtinuerat. Cùm enim Henricus Carinthiæ Dux ac Bohemiæ Rex vnicam moriens filiam hæredemque Margaretam facie inſigniter deformem reliquiſſet, eáque nullos ex primo coniugio liberos ſuſcepiſſet, Carinthiam ad Imperium deuolutam Ludouicus Bauarus Cæſar Ottoni Hasburgico, vt liberis ſuis Auſtriacos vicinos hac amoris ſignificatione deuinciret, conceſſit, eidémque Carniolam, quæque inde dependent loca, Alberto eius patri iam pridem permiſſa, confirmauit. Ratum id poſtea habuit Carolus Quartus Imperator, atque idcircò quod ſecundis nuptijs ſororem eius Annam Otto duxiſſet, ac Auſtriacos habere amicos ipſe vellet, ne ex formula fœderis Iglauienſis Auſtriaci Bohemiæ Regnum repetentes, bellum *De Carinthia.*

ſe mortuo filijs aliquando mouerent. Eo autem fœdere cautum erat, vt ſi maſcula proles in Bohemiæ Regno deficeret, Auſtriaci ſuccederent.

*De Tirolenſi Comitatu.*

Tirolenſem Comitatum Auſtriaci poſtea donatione obtinuerunt. Margareta enim illa deformis mortuo marito Ludouico Bauaro atque eius vnico filio, ex Prouincialium Ordinum decreto, vt teſtis eſt Gerardus Rous, proximis cognatis ſuis Rudolpho, Alberto, & Leopoldo Auſtriacis Principibus ditionem omnem ſuam pleno Iure tradidit. Donationis iſtius tabulas Carolus Cæſar ex Imperij beneficio anno ſupra milleſimum trecenteſimo ſexageſimo quarto confirmauit. Poſtea Ludouici defuncti fratres Ludouicus Romanus, & Otto Bauariæ Principes publicis tabulis declararunt, nihil ſibi Iuris in Tirolenſem Comitatum eſſe, neque ſe eâ de cauſâ vllam Auſtriacis moleſtiam exhibituros. Idem & Albertus Goriciæ Comes teſtatus eſt. Quod quidam autem non vulgaris famæ ſcriptores Margaretam Rudolpho Auſtriaco nupſiſſe, hócque modo Tirolenſium ditionem ad Auſtriacos deueniſſe tradunt, id Cæſarum & Principum Diplomatibus conſentaneum

neum

Digitized by Google

neum nequaquam eſt;neque id noſtri nunc inſtituti eſt diſcutere,cùm Tirolim Iuris Auſtriaci eſſe, quocunque tandem modo, demonſtrare ſit hìc ſatis. Anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono cùm Sigiſmundus Auſtriacus Comes tum Tirolenſis ac Ferrettæ, Sueuiæq́ue & Alſatiæ Landgrauius, Cæſaris Frederici frater Patruelis ex duabus vxoribus nullos liberos ſuſcepiſſet, eiuſdem Cæſaris filiam adoptauit, eandémque inſcio inconſultóque Cæſare vxorem Alberto Bauaro dedit, & in dotem Tirolis Comitatum & Ferrettæ, aliáſque ditiones ſuas Auſtriæ adiacentes, & quaſdam ad Rhenum ſitas adiecit. Id vbi Cæſar intellexit, vehementer excanduit, inprimis quod ignaro ſe patre maritus filiæ datus eſſet; deinde quod contempta Imperij Maieſtas videretur, ſine cuius conſenſu Auſtriæ ditiones, tanquam Imperij beneficia vendi aut donari non poſſent. Quare conuocatis Imperij Principibus Sigiſmundus Comes donationem nuptiarum causâ factam publicè reuocare eſt coactus. Cúmque Cæſar Cunigundem filiam ſuam cum Alberto marito in gratiam recepiſſet, Sigiſmundus Maximiliano Frederici



Digitized by Google

Cæſaris filio & Romanorum Regi ditiones omnes ſuas hæreditarias ceſſit. Aderant ditionum iſtarum Ordines, quos Sigiſmundus Sacramento ſibi dicto liberauit, & vt illud Maximiliano, tanquam legitimo Principi ſuo, dicerent, imperauit. Iurauerunt, vt volebat, Ordines: ipſe certos ſibi cenſus & reditus quotannis, quamdiu vita ſupereſſet, retinuit.

*De Bohemia.* Bohemia Hungariáque Iuris Auſtriaci hoc modo ſunt factæ. Albertus Auſtriacus, qui poſtea Imperator, ductâ Sigiſmundi Bohemiæ Regis vnicâ filiâ Eliſabethâ, approbantibus vno conſenſu vniuerſis Ordinibus Regnum obtinuit. Ei ſucceſſit Ladiſlaus filius, qui magnâ cum ſanctitatis opinione, etſi breuiſſimo tempore, Regnum adminiſtrauit, ab eo per mortem non ſine veneni ſuſpicione deiectus. Duas is ſorores habebat, Annam, quæ Guilielmo Saxoniæ Duci nupſit, & Eliſabetham, quæ Caſimiro Poloniæ Regi vxor eſt data. Mortuo Ladiſlao cùm Legati ab earum maritis miſſi ſui Iuris rationem haberi poſtularent, Georgius Podiebradius, qui ad Regnum aſpirabat, ſtudioſè cauit, ne Legati priuſquam Rex eſſet electus, audirentur; cúmque ipſe per tumultum Huſſita-

Digitized by Google

Huſſitarum fauore Rex eſſet renuntiatus, ambæ illæ ſorores excluſæ fuerunt. Nunquam tamen aut Morauí, aut Sileſij Podiebradium Regem agnouerunt. Hoc mortuo, qui legitimam ſucceſſionem interceperat, Bohemiæ Ordines Wladiſlaum Caſimiri Poloniæ Regis filium ad Regnum vocarunt, atque idcircò; quod ex Regum Bohemiæ ſanguine per matrem oriundus eſſet. Hic poſt mortem Matthiæ Coruini Hungariæ Rex creatus anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto Budæ obijt, relicto filio vnico Ludouico, & Annâ filiâ etiam vnicâ. Ludouicus Wladiſlao patri vtroque in Regno ſucceſſit, & Mariam Auſtriacam vxorem accepit Caroli Quinti Imperatoris ſororem. Anna Ferdinando Auſtriaco eiuſdem Caroli fratri nupſit.

Cùm autem Ludouicus Rex ad Mohacium oppidum contra Solymannum infeliciter pugnans à Turcis cæſus eſſet anno Regnorum ſuorum vndecimo, ac nullos ipſe liberos procreaſſet, Ferdinandus Auſtriacus vtrumque Regnum ex fœderis & matrimonij Iure adeptus eſt, hócque modo Bohemicos Faſces poſtliminio in familiam ſuam reduxit. Ferdinando *De Hungaria.*

filius

Digitized by Google

filius Maximilianus ſucceſſit, qui filium Rudolphum Regni vtriuſque hæredem reliquit, & hic, fratrem ſuum Matthiam. Matthiæ demum Patrueli ſuo ſuccenturiatus eſt Ferdinandus Secundus hodie Bohemiæ Hungariæque Rex, & Romanorum Imperator.

*De Morauia, Sileſia. Luſatia.*

Sub Bohemiæ Regno Morauia, Sileſia, & Luſatia cenſentur. Igitur Auſtriaci eodem, quo Bohemiam, Iure, tres iſtas Prouincias obtinuerunt. Morauia Marchionatus nomen habet, Sileſia Ducatus eſt, ſed qui Principatus ſexdecim complectitur. Ea Poloniæ Regibus ſubdita primùm fuit vniuerſa, poſtea in Bohemiæ Regum fidem ſe contulit, & ab eorum Imperio nunc pendet. Id circa annum milleſimum trecenteſimum accidit. Luſatia ab æſtiui ſolis occaſu Sileſiæ adiacet. Eſt præterea in oris iſtis Bohemiam inter & Sileſiam Glacenſis Comitatus, ſui quondam Iuris, cuius titulo, extinctâ Comitum ſtirpe, Bohemiæ Rex nunc gaudet.

*Glacenſi Comitatu.*

Illyrici veteris & Dalmatiæ quædam ſunt partes Iſtria, Forum Iulij, Portus Naonis, Goritia, Croatia (quanquam Pannoniæ pars olim potiùs fuit) ac nonnullæ ad maris Adriatici

tractum

Digitized by Google

tractum vltra citráque Alpes Prouinciæ, quæ hodie partim ab Auſtriacis, partim à Venetis occupantur. In eas Ius ſibi Archiduces Auſtriæ variâ affinitate quæſiuerunt, quædam etiam loca ad Prouincias ſuas iam antè pertinentia ſibi rurſus aſſeruerunt. Et quidem hoc tempore eæ Regiones, quæ Carniolam & Stiriam Auſtriacæ Domus ditiones attingunt, vt ſunt Croatia, Goritia, Scardona, Iadera, Aquilea, Tergeſtum, Maranum, Gradiſca, Monfalconium, Spilinbergium, pluréſque aliæ vrbes Auſtriæ Archiducibus parent. Motæ ſæpè inter Auſtriacos & Venetos propter hæc loca controuerſiæ, dum de Iure in Regiones iſtas non ſatis inter eos conuenit, tandem tamen imperante Maximiliano I. ac poſtea etiam ſub Ferdinando Secundo, priuſquam Imperij Faſces acciperet, certis legibus pax coaluit, & reddita Regionibus iſtis tranquillitas eſt.

*De Croatia, Goritia & aliis.*

Sueuia Duces ſuos olim habuit, quorum vltimus Conradinus, qui Neapoli, dum paternas ditiones repetit, iuſſu Caroli Andegauenſis in Regnum à Pontifice vocati, capite truncatus eſt. Poſt huius mortem Sueuiam inter ſe partiti ſunt Principes Teccenſes, Wirtemberg-

*De Sueuia*

genſes, & Badenſes. Sed & Rudolphus Primus Imperator anno M. CC. LXXXIII. cùm Comitia Auguſtæ Vindelicorum haberet, poſtquam Albertum filium ſuum Auſtriæ Ducem, vt iam antè retulimus, renuntiauiſſet, alterum filium ſuum Rudolphum Sueuiæ Ducem, Alſatiæ Landgrauium, & Ergouiæ Comitem declarauit. Id ratum præſentes Imperij Ordines habuêre; hocque modo magna Sueuiæ pars cum Ducis titulo, quo poſteri vtuntur, Auſtriacorum ſubiecta Imperio fuit.

*De Wirtembergenſi Ducatu.*

Wirtembergenſis ditio pars olim Sueuiæ fuit; poſtea Ducatus titulum ſortita ſeorſim Prouincia cenſetur. Duces in ea multi ante Vlricum fuêre. Hic cùm anno M. D. XIX. Reutlingam Imperialem vrbem expugnaſſet, paulò pòſt à Sueuici fœderis ſocijs expulſus, toto inſuper Ducatu ſuo eiectus eſt. Ditionem illam ſibi à Sueuicis Confœderatis oblatam Carolus V. Imperator Ferdinando Archiduci fratri ſuo conceſſit, eique anno M. D. XXXIII. Auguſtæ in Comitijs coram Imperij Principibus ſolemni feudorum ritu titulos, honores, dignitatem ac bona omnia Ducis Wirtembergici contulit. Non æquo id animo quidam

Principes

Digitized by Google

Principes tulère, vtque Vlricus ditionem ſuam armis repeteret, auxilia promiſerunt præſtiterúntque. Proceſſerat iam bellum, & felici armorum ſucceſſu Vlricus ſeipſum reſtituebat, tandem tamen cum Ferdinando eâ lege tranſegit, vt Ducis titulos nec non ſucceſſionis & Clientelæ Ius penes Ferdinandum eiúſque poſteros Auſtriæ Archiduces eſſet; Vlricus Ducatum poſſideret, adminiſtraret, reditibus, vectigalibus, emolumentiſque omnibus potiretur. Seu, vt loquuntur alij, vtile Dominium Vlrici eſſet, directum Ferdinandi, & poſt illum, Auſtriæ Archiducum. At verò cùm anno M. D. XLVI. bello Smalcaldico partes Saxonis & Heſſi ſecutus arma aduerſus Carolum V. Imperatorem ſumpſiſſet, iubetur ſe ſuáque omnia Cæſari permittere. Cùm id haudquaquam præſtaret, Cæſar Albanum in Ducatum Wirtembergenſem immiſit, qui oppida vi partim expugnauit, deditione partim accepit, agros omnes deuaſtauit. Sequenti tandem anno cùm omnium deditionem feciſſet, & eius Legati in genua ante Cæſarem prouoluti culpæ veniam pro eo deprecati eſſent, intercedentibus Palatino, Saxone, alijſque Principibus in

gratiam certis legibus receptus eſt. Inter eàs fuit hæc vna. *Ferdinando Archiduci, & eius poſteris Auſtriæ Archiducibus Ius in VVirtembergam integrum maneto.* Ita adhuc hodie Auſtriaci meritò ſe Duces Wirtembergicos appellant.

## CAPVT V.

### *De Prouincijs Auſtriacorum Principum in Belgio.*

BElgium, quod ſeptemdecim Prouincijs hoc tempore continetur, matrimonij & ſucceſſionis hæreditariæ Iure ad Auſtriacos Principes peruenit. Vt modus & ordo conſtet, repetenda altiùs narratio eſt, & quomodo in vnum quaſi Reipublicæ corpus ſeptemdecim Prouinciæ coaluerint, oſtendendum.

*Initium vnionis Belgicarum Prouinciarum.*

Ludouicus Malanus XVII. Flandriæ Comes paternâ hæreditate Dominus fuit Niuertij, Rhetelij, Salinarum, Mechliniæ; maternâ verò inferioris Burgundiæ & Arteſiæ Comes. Vxorem hic habuit Margaretam Ioannis Tertij Brabantiæ Ducis filiam, ex qua vnam tantùm filiam

Digitized by Google

filiam ſuſcepit Margaretam, quæ Philippo Audaci Burgundiæ Principi, Ioannis Franciæ Regis filio vxor eſt data. Ex hac Philippus tres filios tulit Ioannem, Antonium, Philippum. Ioannes natu maximus mortuo Patre Burgundiæ Principatum accepit, ac ſimul Flandriæ Arteſiæque Comes fuit. Vxor illi contigit Margareta Alberti Bauari Comitis Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Domini Friſiæ filia. Antonius, qui inter Ioannem & Philippum medius erat, curante id Patre in Brabantiæ Ducatu ſuffectus eſt, cùm ſine liberis obijſſet Ioanna Wenceſlai Brabantiæ Ducis vxor, & Ioannis Tertij filia, ſoror Margaretæ, quæ Antonij auia fuit. Vt gratum animum propterea Ordinibus exhiberet Philippus, Rienſem ijs Regionem dedit, cuius tum Metropolis Antuerpia, quæ æterno fœdere Brabantiæ eo tempore iuncta eſt. Conſenſit quoque Ioannes ſenior Antonij frater, ſuóque in Brabantiæ Ducatum Iuri ceſſit eâ lege, vt ſi vel ipſe Antonius, vel eius liberi ſine hæredibus legitimis decederent, Ius in Brabantiam ad ſuum genus ſtirpémque rediret. Antonius hoc modo Brabantiæ Dux factus, ex



Digitized by Google

Ioanna Simpolia, quam primam vxorem duxit, duos filios Ioannem & Philippum ſuſcepit, & filiam vnicam, quæ in prima adoleſcentia deceſſit. Alteram Simpoliâ mortuâ vxorem accepit Eliſabetham Goritiam & cum ea dotis nomine Luxemburgenſem Ducatum, donec ei CXX. millia florenorum numerarētur. Ex hac nulli liberi extitêre. Occubuit verò Antonius in prælio apud Morinos anno M. CCCC. XV. duobus relictis filijs Ioanne, & Philippo. Ioannes natu maior etſi annos tredecim duntaxat natus Brabantiæ Principatum adijt, & anno ætatis decimo ſexto duxit in vxorem Iacobam Bauaram Guilielmi Bauari Comitis Hannoniæ & Hollandiæ filiam, quæ ab eo poſteà mutato amore diſceſſit, multorum idcircò bellorum cauſa. Obijt tandem immaturâ morte Ioannes anno ætatis XXIV; partæ ſalutis M.CCCCXXVI. Decem annis pòſt Iacoba quoque è vita diſceſſit. Philippus Ioannis frater poſt eius mortem gubernacula ſuſcepit, ſed non fuit ea dominatio diuturna. Tertio enim Principatus anno dum Iolentam Ludouici Siciliæ Regis filiam deſponſatam ſibi coniugem expectat, Louanij è vita migrauit.

Defunctis

Digitized by Google

Defunctis igitur ſine prole Antonij liberis omne Ius Ducatus Brabantici ad Philippum Bonum Ioannis Burgundiæ Ducis filium eſt deuolutum, atque ei tum obuenerunt Prouinciæ Burgundia vtraque, Lotharingia, Brabantia, Limburgum, Flandria, Arthesia, Antuerpia Sacri Romani Imperij Marchionatus, Salinarum & Mechliniæ Toparchia. Per mortem Iacobæ conſanguineæ ſuæ, à qua hæres inſtitutus erat, Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam, & Friſiam obtinuit. Namurcenſem deinde Comitatum à* Ioanne Comite per emptionem adeptus eſt. Hic enim ab Antiſtite Leodienſi captus cum magno redimere ſe cogeretur, & litro conficiendo impar eſſet, Comitatum ſuum Philippo Bono Burgundiæ Duci vendidit, ſeruato ſibi & titulo & vſufructu, quoad in viuis eſſet. Potitus denique eſt Luxemburgenſi Ducatu per Eliſabetham Goritiam, quæ cùm Prouinciæ ſuæ graue regimen experiretur, illam ad Philippum Bonum tranſtulit certâ ſibi & annuâ nummorum ſummâ, quam penſionem vulgò dicunt, reſeruatâ. Videbatur etiam rediјſſe ad eum hæreditas, quamdiu debita dotis nomine pro Ducatu pecunia

*Belgium ad Domũ Burgundicam deuolutum.*

* *Alij Theodorico.*

nondum

Digitized by Google

nondum perſoluebatur. Poſt mortem Eliſabethæ Philippus numeroſo cum exercitu profectus, teſte Barlando, Luxemburgum expugnauit, & Prouinciam ad ſibi parendum adduxit. His modis vni ſoliq́ue Philippo tot illuſtres Prouinciæ obtigerunt, & diuiſum antea Belgium pænè totum eius Imperio parere cepit. Tres illi vxores fuêre, quarum priores duæ nullos ei liberos reliquêre. Tertia fuit Iſabella Luſitaniæ Regis filia, quæ ei Antonium & Iudocum peperit, quos pueros adhuc amiſit. Poſtremò Carolum ſuſcepit, quem Pater tot Prouinciarum hæredem moriens an. M.CCCC. LXVII. reliquit.

*Adiungitur Geldria & Zutphania.*

Succeſſit igitur Philippo Patri Carolus, qui Pugnax, vel, vt alij, Audax, & Bellicoſus eſt dictus, quod illi aſſidua eſſent cum Germanis, Gallis, Lotharingis, Heluetijs, alijſq́ue bella. Hæreditarijs Regionibus ſibi à Patre relictis Geldriæ Ducatum & Zutphaniæ Comitatum adiecit. Vtrumque ab Arnoldo Egmondano Geldriæ Duce nonaginta duobus aureorum millibus emit, ſeruante interim Arnoldo Duce annuam, quoad viueret, penſionem. Venditionem Dux ipſe teſtamento ratam fecit, ſiliumq́ue

liumq́ue ſuum Adolphum, à quo captiuus ſexennio detentus fuerat, moriens exhæredauit. Idem Carolus Luxemburgenſem Ducatum pleno tandem Iure poſſedit. Quippe cùm nulli ex Venceſlao Bohemiæ Rege liberi eſſent, eiuſq́ue neptis Eliſabetha Goritia ſine prole etiam obijſſet, deuoluta Ducatus proprietas ad Sigiſmundum Imperatorem Venceſlai fratrem erat. Huic vnica filia fuit Eliſabetha Luxemburgica Hungariæ & Bohemiæ Regina, quæ Alberto Auſtriaco Imperatori nupſit, ex quo filium vnum Ladiſlaum, filias duas Annam & Eliſabetham peperit. Ladiſlaus nullam ex ſe prolem reliquit. Anna Guilielmum Saxoniæ Ducem maritum habuit; Eliſabetha Caſimirum Poloniæ Regem, quemadmodum iam ante commerauimus, cùm de Bohemiæ Regno ageremus. Et hæc eſt Eliſabetha Auſtriaca, quæ Carolo Audaci Ius omne in Ducatum Luxemburgenſem certo pretio vendidit, eúmque totius ditionis, quam in pignus iam ante poſſidebat, verum ac legitimum Dominum conſtituit. Ita Burgundici Iuris factum eſt Luxemburgum. Filiam reliquit vnicam Mariam Carolus ex Iſabella coniuge ſe-

*Item Luxemburgum.*



Digitized by Google

ſecunda, obijt verò ipſe ad Nanceum in Lotharingia anno M. CCCC. LXXVII. V. Ianuarij.

*Belgium ad Domũ Auſtriacam deuolutum.*

Maria Burgundica Caroli Audacis filia & omnium eius Prouinciarum hæres nupſit Maximiliano Auſtriaco, qui poſtea Imperator. Hoc modo ſine bello Belgium ad Auſtriæ Archiduces peruenit, & Septemdecim Prouinciæ non armis, ſed legitimo connubij Iure eorum Imperium ſuſceperunt.

Ex Maximiliano & Maria vnus exſtitit filius Philippus Auſtriacus omnium Belgij Regionum hæres, qui Ioannam Ferdinandi & Iſabellæ Hiſpaniarum Regis & Reginæ filiam anno M. CCCC. XCVI. duxit, & ex qua natus illi fuit anno M. D. die XXIV. Februarij Gandaui Carolus V. poſtea Imperator, Belgij hæres. Hic ad cæteras Prouincias ditionem Vltraiectenſem, & Tranſiſalaniam, Groningam & Cameracum adiecit; Geldriam denuò aſſeruit. Vltraiectum reſignatione Henrici Bauari Vltraiectenſis Antiſtitis accepit. Hic enim cùm aduerſus vicinorum iniurias, & inteſtinos plerumque motus tueri ſe diutiùs non poſſet, Cæſari Carolo V. eiúſque Succeſſoribus

*Accedit Vltraiectum.*

Brabantiæ

Digitized by Google

Brabantiæ Ducibus & Hollandiæ Comitibus omne Ius ac Imperium profanum, quod in vrbem ac Ditionem Vltraiectinam ipſe Succeſſoreſque habere poterant, certo animo liberâque voluntate ceſſit. Idem prouinciæ Ordines fecêre. Expeditæ ſunt publicæ ceſſionis huius tabulæ anno M.D.XXVIII. die XIII. Auguſti, eáſque ratas habuerunt ſubſcriptis nominibus & appenſis Sigillis quinque Canonicorum Collegia, Abbates, Vrbis Senatus & Nobiles, quos omnes à Sacramento ſibi dicto Antiſtes liberauit. Ijdem Cæſari iurauerunt; Pontifex Clemens Septimus approbauit confirmauitque. Eccleſiaſtica Iuriſdictio ſacrumque Imperium Antiſtiti reſeruatum fuit.

Trans-Iſalani eodem anno auditis Cæſaris & Antiſtitis ſui Legatis, indictóque totius prouinciæ Concilio, & re omni maturè deliberatâ, Cæſari eiúſque legitimis Succeſſoribus, ſeruatâ Antiſtitibus ſacrâ Iuriſdictione, ſeſe certis legibus ſubmiſerunt, & Carolum in Principem receperunt. Tabulas hâc de re & omnium deditione confectas ſignarunt Caroli Proceres, & quicunque ferè è Nobilitate Tranſiſalana; moxque præſente iubentéque Antiſtite, qui eos libe- *Tranſiſalania.*



Digitized by Google

roſ pronuntiabat, Cæſari Sacramentum dixêre.

Groninga. Groninga ſponte ad Carolum Imperatorem acceſſit, quæ antea Ditioni Vltraiectenſi & Geldriæ ſuberat. Groningani enim cùm animaduerterent ſe defendi à Geldro non poſſe, & varijs ſe bellis obijci, Carolo Cæſari, vt Brabantiæ Duci & Hollandiæ Comiti, vltrò ſe ſubiecerunt. Georgius Sceinkius Groningam anno M. D. XXXVI. ingreſſus Cæſaris nomine magnâ pompâ inauguratus eſt, & Vrbis Sacramentum Carolo dictum accepit. Pace poſtea cum Carolo Geldro factâ idem titulo Iurique in Ditionem Groninganam, Ommelandios, Dammum, Drentam, Twentam, Couuordam, quæque huc pertinent, Cæſari eiúſque in perpetuum Succeſſoribus ceſſit renuntiauitque.

Cameracum. Cameracum olim intra Hannoniæ limites, auulſum poſtea, & liberis Imperij vrbibus accenſitum eſt. Tādem in tutelam hæreditariam Flandriæ Comitibus ab Imperatoribus, potiſſimùm Henrico Quinto, & Frederico Primo attributum. Galli Ius aliquod in hanc vrbem ſibi vendicantes ſæpiùs illam occuparunt, quorum præſidium tempore Maximiliani Primi Cameracenſes Cæſareanis in vrbem intromiſſis eiecerunt.

cerunt. Mouebantur Gallorum inſolentiâ ſæuitiáque, quam diutiùs pati nec poterant, nec dignum cenſebant. Carolus Quintus Imperator, vt aduerſus Gallos Belgicas Prouincias ſtabiliret, Cameracum præſidio & Arce muniuit, ab eóque tempore Cameracenſes Auſtriacam Familiam coluêre, & ſub Principis Belgarum tutelâ ſuæ vrbis ſtatum ſeruauêre. Venit vrbs tamen poſtea in Gallorum rurſus poteſtatem auaritiâ Arcis Præfecti; ſed anno M. D. XCV. Petrus Henriques Fontium Comes fideli ciuium operâ auxilióque Philippo II. Auſtriaco denuò eam aſſeruit.

Ad Geldriam quod attinet, ea, vt iam ante retulimus, Carolo Audaci paruit, ſed iterùm Carolus Adolphi Egmondani filius inuaſerat. Anno tandem M. D. XXXVI. Imperator eam cum Zutphaniæ Comitatu hac lege Carolo Duci reliquit, vt ſi ſine liberis legitimis è vita diſcederet, ipſe eiúſque ſucceſſores Brabantiæ Duces & Hollandiæ Comites in vtramque ditionem ſuccederent. Sed cùm anno ſequenti conuocatis Arnhemum vtriuſque Prouinciæ Ordinibus id ageret Dux, vt Franciæ Regi Sacramentum dicerent, recuſarunt Ordines & *Geldria iterum & Zutphania.*

oppidis ferè omnibus Ducem excluſerunt. Pœnituit facti Ducem, compoſitóque cum Ordinibus diſſidio, nihil ſe, quoad viueret, de Principe alio acturum promiſit. Anno demum M. D. XXXVIII. moritur Dux ſeptuageſimum annum excedens, & cùm legitimos ex coniuge liberos non haberet, nothos autem quamplurimos, contra initum cum Cæſare pactum, quia ditiones ſuas relinquere Franco recuſantibus Ordinibus non poterat, Guilielmum Marcanum Cliuiæ Ducem, qui tum duorum ſupra viginti annorum erat, ſucceſſorem nominauit. Is quorundam factione in Ducem recipitur, & præſidia præcipuis ciuitatibus imponit, quæ res calamitoſi paulò pòſt belli cauſa fuit. Vt ſe autem contra Cæſarem tueretur, amicitiam & fœdus cum Gallo percutit. Cæſar hâc de re inter alia in Comitijs Ratisbonenſibus ad Imperij Principes retulit, qui auditis Cliuiæ Ducis Legatis, Cæſarem Ius ſuum in Geldriam ac Zutphaniam perſequi poſſe ac debere publico decreto reſponderunt. Ardet igitur bellum & tota Prouincia Cæſareanis armis occupatur. Direptum Duræ oppidum miſerabili incendio, dum miles libidini



Digitized by Google

modum non ponit, totum conflagrarat, quâ clade territæ Vrbes Geldriæ Iuliæque deditionem faciunt, & ad Cæſarem claues tranſmittunt. Erat is ad Venlonam in caſtris, quò veniens Guilielmus Cliuiæ Dux nigro amiculo tectus ad Cæſaris pro Tribunali ſedentis genua ſe proſternit. Francorum ſe promiſſis deceptum fatetur, veniam petit, conſtantem in poſterum fidem promittit. Ignouit illi Cæſar, & in gratiam eâ lege recepit, vt Geldria Zutphaniáque Cæſari eiúſque hæredibus in perpetuum cederet, & earum ditionum incolas dicto ſibi Iureiurando liberaret. Ceſſit Dux, confectiſque ea de re tabulis ſubſcripſit, & in Cæſaris verba iurauit. Ita finito bello reducta pax eſt, & in pace contracta affinitas. Nam Guilielmus Dux Mariam Auſtriacam Ferdinandi Romanorum Regis filiam vxorem accepit, & fœderi cum Gallo renuntiauit. Acciderunt hæc anno M. D. XXXXIII. Nec conſtantior deinceps vllus in fide erga Cæſarem Auſtriacamque Familiam fuit, quàm hic Dux. *Cliuiæ Dux cedit*

Carolo V. Imperatori ſucceſſit Philippus II. Belgarum Princeps, & Hiſpaniarum Rex, qui patre Bruxellæ reſignante Belgij Prouincias omnes

omnes ſuo Iure & de Ordinum conſenſu accepit. Idem poſtea filiæ ſuæ Iſabellæ Hiſpaniarum Infanti, cùm illa Alberto Auſtriaco Maximiliani Secundi Imperatoris filio nuberet, Belgium in dotem dedit. Mortuo Alberto qui anno M. DC. XXI, fatis conceſſit, Belgicæ Prouinciæ ad Philippum Quartum, hodie Hiſpaniarum Regem Auſtriacum, redierunt.

## CAPVT VI.

### *De Prouincijs Auſtriacorum Principum in Hiſpania.*

REgna intra Hiſpaniæ fines hæc potiſſimùm ſunt, Legio, Gallæcia, Portugalia, Algarbia, Andaluſia, Granata, Murcia, Valentia, Aragonia, Catalonia, Nauarra, Caſtella vetus, Caſtella noua ſeu Toletanum Regnum, Baleares Inſulæ, vulgò Maiorca & Minorca dictæ, quæ vnà cum Ebuſo Inſula, vulgò nunc Iuica, Regnum vnum conficiunt. Ex his tria potiſſimùm hactenus clara fuère, Caſtella, Aragonia, Portugallia, in quæ paulatim reliqua coaluêre. Et quidem Ferdinandus Primus Legioni Caſtellam adiunxit, vnóque nomine

Digitized by Google

nomine vtrumque Regnum Caſtellam appellauit. Ad eam poſtea deuictis pulſiſque Mauris Andaluſia, Gallæcia, Granata, Murcia acceſſêre, Aſturia Biſcaiáque deinde, ac tum Nauarra. Aragoniæ annexæ ſunt Catalonia, Valentia, Inſulæ Baleares. Portugallia Algarbiam & Guineam ſibi vendicat. Quâ occaſione quóve modo ſingulæ Prouinciæ tribus iſtis Regnis ſint iunctæ, nihil attinet hîc dicere. Cæterùm tria illa Regna, quæ ex aliorum coniunctione in maximam potentiam excreuerant, in vnam Monarchiam, tanquam in vnum Hiſpaniæ corpus, etiam coaluerunt; Aragonia Caſtellá-que ſub Ferdinando Catholico eiúſque Filia Ioanna & Carolo V. iterùm illæ cum Portugallia ſub Philippo Secundo.

Ferdinandus Catholicus, hoc nomine Quartus, Ioannis Aragoniæ Regis filius vnicus, Iſabellam Henrici Quarti Caſtellæ Regis ſororem vxorem accepit, ab ea multis Regibus Principibuſque, qui eius nuptias ambiebant, antepoſitus. Cùm autem Henricus Quartus nullâ prole relictâ è viuis exceſſiſſet, Ferdinandus Iſabellæ vxoris ſuæ Iure ad Caſtellæ Legioniſque Regnum ab Optima-

tibus eſt vocatus. Viuebat tum adhuc Ioannes Aragoniæ Rex eius pater, poſt cuius mortem cùm tandem Aragoniæ quoque Regnum obtinuiſſet, illud cum Valentia, Catalonia, Balearibus Inſulis, Barcinonæ Comitatu, alijſque Ditionibus paternis perpetuâ ſocietate Caſtellæ & Legioni, quas vxoris causâ poſſidebat, adiunxit, & ad poſteros tranſmiſit. Idem Granatam vrbem & totum Granatæ Regnum incredibili felicitate anno M. CCCC. XCII. à Maurorum crudelitate liberauit, & cum Caſtella coniunxit. Anno M. D. XII. Nauarram authoritate Iulij II. Pontificis Max. magnis de cauſis, de quibus nos alibi, occupatam eidem Caſtellæ vniuit.

Ferdinando & Iſabellæ filius vnus fuit Ioannes, filiæ quatuor, quarum quæ natu maior erat Eliſabetha Emanueli Luſitaniæ Regi nupſit. Ioanna Philippo Maximiliani Primi Cæſaris filio Belgarúmque Principi vxor eſt data. Verùm cùm Ioannes ante parentes fatis conceſſiſſet, obijſſet etiam paulò pòſt Eliſabetha, nec ex ijs proles ſupereſſent, vocati ſunt è Belgio Philippus Archidux & Ioanna, qui cùm in Hiſpaniam traiecíſſent, incredibili tum Ferdinandi

nandi & Iſabellæ, tum Optimatum & omnium lætitiâ, varijſque triumphorum generibus ſunt excepti. Indicto deinde Ordinum Caſtellæ Concilio Philippus Archidux, eius vxor Ioanna, atque eorum liberi Caſtellæ & ad illam ſpectantium Hiſpaniæ Regnorum veri legitimique hæredes renuntiantur. Tum nobiles vtriuſque Ordinis, vrbium, Ordinúmque omnium legati Sacramentum ijs ſolemni ritu dicunt, & Hiſpaniæ Principes appellant. Idem faciunt Aragoniæ & aliorum Regnorum Ordines.

Enimuerò anno M. D. IV. V. Cal. Decembris obijt Iſabella Caſtellæ Regina, Ferdinandi Catholici vxor; quod vbi nuntiatum Philippo Archiduci fuit, compoſitis in Belgio rebus anno M. D. V. in Hiſpaniam cum coniuge Ioanna profectus Caſtellæ & aliorum ad eam ſpectantium Regnorum hæreditatem adijt, & Rex inauguratus eſt. Maxima tum erat omnium Ordinum nouo Regi fauentium lætitia, ſed mox in grauiſſimum luctum conuerſa fuit. Nam anno M. D. VI. Burgis VII. Calendas Octobris Philippus, qui annum ætatis XXVIII. priùs agebat, ſummo

*Caſtella ad Auſtriacos peruenit ſub Philippo Auſtriaco*

omnium dolore vitam cum morte commutauit. Erat tum Ioanna grauida, quæ paulò pòſt poſthumam peperit filiam Catharinam. Mortuo Philippo Ferdinandus Catholicus eius ſocer cum Ioanna filia Philippi vidua ad annum vſque M. D. XVI. Caſtellæ Regnum adminiſtrauit. Eo quippe anno Madrigali apud Eſtremaduros cùm natus eſſet annos ſexagintaquinque ardenti febri extinctus eſt, cùm condito menſibus aliquot antè teſtamento Carolum è filia Ioanna nepotem natu maximum Regnorum omnium ſuorum hæredem declarauiſſet. Anno igitur ſequēti Carolus Philippi Archiducis Regiſque ex Ioanna filius in Hiſpaniam venit, & Valliſoleti apud Caſtellanos in Hiſpaniarum Regem inauguratus, ac cum matre coronatus fuit. Paruerunt tum illi Caſtella Aragoniaque, & quæcunque ad hanc aut illam intra Hiſpaniæ limites Regna ſpectabant. Maximus hic, glorioſiſſimus, & Chriſtianiſſimus Monarcha, cùm regnaſſet annos quadraginta, & Romanum Imperium, ad quod decimo nono ætatis anno euectus fuerat, annis triginta ſex adminiſtrauiſſet, rebus ſupra inuidiam geſtis clariſſimus, Imperium fratri ſuo Ferdi-

*Aragonia ſub Carolo V. ad Auſtriacos peruenit.*

Ferdinando, Regna autem ſua & Principatus omnes filio Philippo reliquit. Biennio poſt, anno videlicet M. D. LVIII. in Monaſterio Sancti Iuſti vitam pijſſimè finiuit.

Philippus II. Caroli V. ex Iſabella Emanuelis Luſitaniæ Regis filia vnicus filius & legitimus hæres, Regnorum omnium Principatuúmque paternorum adminiſtrationem ſuſcepit. Caſtellæ cæteriſque Hiſpaniæ Regnis Portugalliam ſeu Luſitaniam adiunxit. Sebaſtiano enim Rege in Africa nullâ relictâ prole cum exercitu deleto, & Henrico Cardinale, qui poſt Sebaſtianum regnarat, terris adempto, ratione matris ſuæ Iſabellæ, quæ Ioannis Tertij Regis Sebaſtiani aui ſoror erat, Regnum iſtud Iure occupauit. Erant cum Philippo Competitores Antonius nothus, qui legitimum ſe credi volebat; Ioannes Dux Bragantiæ Iure vxoris ſuæ; Alexander Parmæ Dux liberorum loco; Philibertus Dux Sabaudiæ; Catharina Medicæa Galliæ Regina; denique Luſitaniæ populus Regnum ad electionem ſuam pertinere contendèbat. Ius ſuum Philippus Theologis & Iuriſconſultis examinandum

*Luſitania ad Auſtriacos peruenit ſub Philippo II. Auſtriaco.*



Digitized by Google

nandum commiſit, qui Competitorum rationibus diligenter conſideratis, eorúmque Iure diſcuſſo reſponderunt, Philippo Ius certiſſimum in Luſitaniæ Regnum competere, eumq́ue verum ac legitimum hæredem eſſe, idcircò quod inter Competitores omnes ſolus eſſet, qui propinquiore conſanguinitatis gradu Henricum Regem contingeret, virilis ſtirpis, legitimus, & natu ſeu ætate maximus. Repellebatur Antonius, quod eſſet, & habitus ſemper nothus fuiſſet, non vulgi tantùm & omnium opinione, ſed etiam Ludouici patris eius, vt ex ipſius teſtamento certò conſtabat. Talem etiam illum Rex ipſe Henricus iudicarat. Excludebatur Parmæ Dux, quod imaginariam quandam repræſentationem proponeret, nec in eo gradu & ordine, in quo eam Iura admittunt. Non admittebatur Sabaudiæ Dux, quod oriundus eſſet ex filia ſororis, Imperatrice Philippi matre ætate iunioris; nec diuidi Regnum poſſet, aut deberet. Excidebat etiam Bragantiæ Dux, quod etſi locus eſſet repræſentationi, quam vxor eius vrgebat, in ea tantùm eſſet par Philippo, eidem verò cedere deberet, quod fœmina eſſet, quæ, vbi de Regno agitur, in pari conſan-

Digitized by Google

conſanguinitatis gradu præferri viro nunquam poteſt. Aliæ plures erant contra eam rationes, quas hic omitto. Catharinæ Medicææ vetuſtum & obſoletum Ius à Comitibus Bononienſibus repetitum, non tam diſcutiebatur, quàm irridebatur. Nec populo concedi electio poterat, quamdiu ex Regia Domo ſupererant hæredes legitimi. Idem in alijs Hiſpaniæ Regnis obſeruari, in quibus maior libertas eſſe deberet, quàm in Luſitaniæ Regno, quod dono Caſtellæ Regum prima initia ſumpſiſſet, & victorijs ſuorum poſtea Regum creuiſſet, non autem à populo ad Reges perueniſſet. Tale cùm eſſet Philippi Ius, & interim arma contra eum pararentur, ipſe Ferdinandum Albæ Ducem cum exercitu in Luſitaniam immiſit, qui intra ſeptuaginta dies, pulſo vnicâ pugnâ Antonio, totum Regnum ſubiecit. Atque ita Philippus Henrico Regi patruo ſuo nepos ſucceſſit, occupatáque Luſitaniâ, totam, à mari vſque ad mare, & rurſus à montibus Pyrenæis vſque ad Herculis columnas, Hiſpaniam hæreditario Iure poſſedit.

Eſt ab hac Pyrenæorum montium parte verſus Galliam Comitatus Rhuſcinonenſis, *De Comitatu Rhuſcinonenſi,*

vulgò

Digitized by Google

vulgò Ruſſillionis, nunc à multis ſæculis Cataloniæ annexus, olim Romanorum Colonia, quæ Rhuſcino Latinorum dicebatur. Pars igitur Hiſpaniæ eſt, & eodem Iure, quo cæteræ Prouinciæ, ad Auſtriacos peruenit. Anno M. C. LXVIII. cùm Gerardus Comes Rhuſcinonenſis nullo hærede relicto è viuis migraſſet, Comitatus ad Alphonſum Nonum Arogoniæ Regem eſt deuolutus, iſque Rhuſcinonenſis Comes cœpit appellari. Ioannes autem Secundus AragoniæRex ærarij inopiâ compulſus Comitatum hunc Ludouico Vndecimo Francorum *R*egi pro trecentis aureorum millibus in pignus dedit. Poſteà anno M. CCCC. XCIV. Carolus Octauus Ferdinando Aragoniæ &Caſtellæ *R*egi eundem reſtituit. In ea ditione Arx Rhuſcinonenſis & Perpinianum vrbs potiſſimùm eminent. Hanc cùm Ludouicus XII. Galliæ *R*ex arctiſſimâ obſidione premeret, ciues immunda primùm animalia, tum hoſtium corpora, ac tandem etiam ſuorum cadauera in cibos verterunt, Pati extrema maluerunt, quàm à ſuo *R*ege deficere, vt author eſt L. Marineus Siculus.

Atque hæc tantùm de Auſtriacis in Hiſpania

Digitized by Google

pania Prouincijs, in quas Philippo Secundo Patri Philippus Tertius filius ſucceſſit, & huic Philippus Quartus hodie glorioſiſſimus Hiſpaniarum Monarcha, Auſtriacæ Familiæ Princeps.

## CAPVT VII.

### *De Prouincijs Principum Auſtriacorum in Italia.*

IVris Auſtriaci in Italia ſunt Sicilia & Sardinia, Regnum Neapolitanum, & Ducatus Mediolanenſis. Siciliæ Imperium penes Reges ac Tyrannos initio ſtetit, donec maximam Inſulæ partem ſibi Carthaginenſes vendicarunt. His expulſis Romani eam occuparunt, & vſque ad Iuſtiniani Imperatoris tempora tenuerunt. Tum Vandali eandem inuaſerunt, pulſi poſtea à Beliſario Iuſtiniani Duce. Sed cùm Saraceni ſui Iuris illam feciſſent, eos Tancredus Normannus eiecit, cuius nepos ex Roberto filio Rogerius Primus Neapolis & Siciliæ Rex creatus, Regnum vtriuſque Siciliæ appellauit. Regnum enim Neapolitanum, quod nunc in Italia eſt,

*Primi Reges Siciliæ.*

*Normanni.*

L tunc

tunc Sicilia cis Pharum ſeu fretum dicebatur, ipſa autem Inſula, Sicilia trans Pharum. Manſit Regnum in Familia Tancredi vſque ad Guilielmum Tertium, quem alij Quartum vocant, qui cùm ſine liberis obijſſet, Siciliæ Proceres Tancredum Rogerij Secundi filium nothum Regem crearunt. Verùm Henricus Sextus Imperator ductâ Conſtantiâ, quæ Guilielmi Secundi filia erat, teſte Cuſpiniano, Regni ſe hæredem nuncupauit, eiuſque & Imperij ſucceſſorem ex eadem Conſtantia Fredericum Secundum reliquit. Secutus eſt illum in Regno Conradus filius, cuius curam tutelámque Manfredus eiuſdem Frederici filius nothus ſuſcipiens, Siciliam gubernauit, ac tandem Conrado non ſine veneni ſuſpicione mortuo, occupauit, Regémque ſe dixit. Quod cùm iniquo animo Pontifex ferret, (etſi Conradinus Conradi legitimus filius in Germania ſuperſtes Patri eſſet) Carolum Andegauenſem Ludouici IX. Gallorum Regis fratrem ad vtriuſque Siciliæ Regnum euocauit. Occurrit illi valido cum exercitu Manfredus, & prælio apud Beneuentum commiſſo, fortunâ à partibus Caroli ſtante, occubuit. Cæſo Manfredo Galli

*Germani ſeu Sueui.*

*Andegauenſes.*

Digitized by Google

Galli annis circiter ſeptemdecim Siciliam adminiſtrarunt; quo tempore Conradinus Frederici II. Imperatoris nepos, & Conradi filius, vtriúſque Siciliæ legitimus hæres, in Italiam venit, vt Neapolitanum & Siculum Regnum Iure ſibi debitum armis repeteret, ſed victus à Carolo Andegauenſi captúſque, capitis ſupplicium non ſine omnium dolore tam alti ſanguinis Princeps ſubijt anno M. C C. LXVIII. Ab huius exceſſu Siculi Gallorum ſuperbè dominantium luxum inſolentiámque pertæſi, cùm non liberorum hominum, ſed mancipiorum inſtar tractarentur, in ipſorum excidium conſpirarunt. Igitur ad ſignum campanæ æreæ inter preces veſpertinas vno quaſi momento per totam Inſulam Galli trucidantur. Inde veſperarum Sicularum appellatio eſt. Perierunt intra duas circiter horas octo millia. Carolus eâ clade Siculorúmque defectione auditâ contractis ex omni Italiæ ora nauibus, Meſſanam terrâ marique obſedit. Interea Siculi, quibus mori potiùs, quàm Gallis iterùm parere decretum erat, miſſis ad Petrum Aragoniæ Regem Legatis orarunt, vt Inſulam ad ſe ratione vxoris ſuæ Conſtantiæ Manfredi

*Conradini mors.*

*Veſpera Siculæ.*

filiæ vnicæ pertinentem calamitoſo hoc tempore ab iniuria & crudeli Gallorum dominatu vindicaret. Rem illi cum eo futuram, qui ſoceri interfector eſſet, & idem Regni occupator. Horum precibus Rex permotus, victorem exercitum ex Africa, vbi Barbaros oppreſſerat, in Siciliam traduxit. Eius tam repentino aduentu territus Carolus obſidione ſolutâ Neapolim retroceſſit; quo pulſo fugatoque, Regni gubernacula Petrus ſuſcepit, & ex eo tempore Sicilia Aragoniæ coniuncta fuit. Petro enim Regi Iacobus filius ſucceſſit, alij deinde vſque ad Ferdinandum Catholicum, qui Siciliæ Regnum vnà cum Aragonico ad Carolum V. Imperatorem Auſtriacum, ſuum ex Ioanna filia nepotem, tranſmiſit. Erat & illa Ioanna Ferdinandi I. Aragoniæ & Siciliæ Regis proneptis. Caroli V. Imperatoris filius Philippus Secundus poſt patrem Siciliam obtinuit, quam Philippo Tertio filio ſuo reliquit, & hic Philippo Quarto Siciliæ hodie & Hiſpaniarum Monarchæ.

*Aragonij.* *Auſtriaci*

Sardinia Romani Imperij bellis Punicis olim facta, à Saracenis poſtea fuit occupata. His eiectis Genuenſes ac Piſani de eius dominio aliquam-

Digitized by Google

aliquamdiu contenderunt, donec Romanus Pontifex Aragoniæ Regibus eam aſſignauit, quo titulo tandem ad Hiſpaniarum Reges Auſtriacos peruenit. Inſulam illam Iacobus Aragoniæ Rex per Alphonſum filium ſuum Piſanis & Genuenſibus ereptam ſibi aſſeruit. Poſtea cùm Genuenſes iterùm quaſi totam occupaſſent, Petrus Quartus Aragoniæ Rex percuſſo cum Venetis fœdere, eorúmque triremibus adiutus, cum illis in mari conflixit, & captis tribus ſupra viginti triremibus, plurimiſque depreſſis Sardiniam retinuit. Eius filius Martinus Aragoniæ quoque Rex ſeditioſos non ita diu poſt Sardos compeſcuit; illi in fide deinceps manſerunt, & Auſtriaco Hiſpaniarum Regi Philippo Quarto hodie parent.

*Sardinia ad Aragonios.*

*Deinde ad Auſtriacos peruenit.*

Neapolitanum Regnum pulſis Saracenis ijdem primò Reges, qui Siciliam, tenuêre. Vnum enim erat vtriuſque Prouinciæ Regnum. Deiectis verò è Sicilia Gallis, eâque ad Aragonios tranſlatâ, Neapoli tamen Carolus Andegauenſis regnauit, & Ius ſuum morte Conradini legitimi hæredis, vt ſuprà commemorauimus, ſanciuit. Illi ſucceſſit Carolus Secundus, huic Robertus filius; Roberto Auo

*Reges Neapolis ijdē primò, qui Siciliæ.*

 Ioanna

Digitized by Google

Ioanna prima filia Caroli Calabri, qui erat Roberti filius fato ante patrem functus. Aduerſus hanc Vrbanus Sextus Carolum Dirrachij Principem, vulgò Duraſium, ex Hungaria euocauit; cui vt aliquem Regina opponeret, Ludouicum Andegauenſem Ioannis Galliæ Regis filium ex Gallia excitum ſucceſſorem adoptauit. Sed fruſtra is conatus fuit, nam antequam ille in Italiam appelleret, Regina vitâ & Regno per Carolum Duraſium eſt ſpoliata. Tenuit hic aliquot annis Regnum, cuius hæredem Ladiſlaum filium moriens reliquit; & ille, quod liberis careret, Ioannam alteram ſororem ſuam anno M. CCCC. XIV. Hac regnante Ioannâ Secundâ, ſed non magnâ pudicitiæ laude, Ludouicus Ludouici Andegauenſis nepos à Martino Quinto Pontifice euocatus Regnum inuadere tentans, Reginam Neapoli obſedit. Erat illa tum poſt mortem mariti ſui Guilielmi Auſtriæ Ducis ſine prole vidua, quæ vt tempeſtatem hanc depelleret, Alphonſum V. Aragonum tum in Sardinia contra Genuenſes bello occupatum adſciuit, inque filium adoptauit. Adfuit mox Alphonſus, commiſſóque prælio Ludouicum vicit, & Reginam obſeſſam periculo

*Varia Andegauenſis & Aragonij adoptio.*

culo

culo liberauit. Meritus hoc officio adoptionis beneficium gratiſſimus Reginæ filius exſtitit; ſed mox cùm illa liberiore vitâ, quàm pati ipſe poſſet, vteretur, ob enatas ſuſpiciones Regina adoptionem reſcidit, & abdicato Alphonſo hoſtem paulò antè ſuum Ludouicum adoptauit, cui ſine prole decedenti Renatus frater ſuccederet. Obijt ſine prole & ante Reginam Ludouicus, quæ, vt mutabile eſt fœminæ ingenium, irritam Ludouici adoptionem, teſte Hieronymo Zuritâ, declarauerat, & priorem de Alphonſo factam, confirmarat. Succeſſit tamen mortuâ Reginâ fratri ſuo Renatus, verùm Alphonſus, qui iam ante Ludouicum glorioſâ victoriâ ſuperarat, reuocatus à Neapolitanis, Renato redire in Galliam compulſo, Regnum obtinuit, quod illi Eugenius Papa conceſſione Apoſtolicâ ratum fecit, in eoque Siciliam vtramque coniunxit. Succeſſorem Alphonſus Ferdinandum filium nothum præterito fratre ſuo Ioanne deſignauit. Ei vtriuſque Regni diadema Pontifex Pius II. conceſſit, & aduerſus illum fruſtra fuêre conatus Ioannis Lotharingi Renati filij, qui victus atque ex Italia deturbatus fuit. Ferdinandum hunc ſecutus eſt Al- *Obtinent Aragonij.*

phonſus

phonſus Secundus, patrem filius, approbante Alexandro VI. Pontifice, ad quem deturbandum cùm Carolus octauus Franciæ Rex aduentaret, vltrò ſe, ſpe victoriæ fortaſſis obiectâ, Regno abdicauit, & illud in Ferdinandum Secundum filium tranſtulit. Hic auxilio Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis, & ſingulari virtute Conſalui Magni Francos expulit, ſibiq́ue Regnum aſſeruit, atque illud ad Fredericum patruum ſuum Ferdinandi Primi filium, quod liberis careret, moriens tranſmiſit. Illum Neapolitani, quippe ſanguine proximum, Regem proclamarunt; Valentinus Cardinalis à Pontifice Neapolim miſſus, coronam capiti eius impoſuit. Aduerſus hunc Hiſpaniæ ſub Ferdinando Catholico, & Franciæ ſub Ludouico Vndecimo, vires coiêre. Quare Fredericus defenſione deſperatâ theſauris ſuis ex pacto ſumptis in Ænariam diſceſſit; inde in Galliam, vbi exul annuis à Rege triginta nummorum millibus, calamitoſam vitam tolerauit. Regnum Gallus Hiſpanuſque diuisêre; Gallo Neapolis & vicina loca, Hiſpano Calabria & Apulia ceſſêre. Ictum fœdus erat inter vtrumque, ſed de Capitinata ditione orta inter illos diſſen-

*Diuiditur Regnum inter Hiſpanos & Gallos.*

diſſenſio, noui poſtea belli cauſa. Hac quippe occaſione reſumpta arma Hiſpani Galliq́ue inter ſe diſtrinxêre, vtrique vniuerſum Regnum ſpe & cupiditate complexi. Querebatur Gallus Prouincias ſibi attributas vectigalibus inferiores eſſe ijs, quas Hiſpanus occupabat; vt prouentus exæquarentur, Capitinatam ſibi relinquendam. Hiſpanus Prouinciarum permutationem, ſi Gallum diuiſionis factæ pœniteret, non recuſabat. Si id non placeret, diuiſis Principatu & Lucaniâ, æqua fieret compenſatio. Harum conditionum neutra Gallo placuit. Reijciebat inprimis Prouinciarum permutationem, ne vrbe Neapoli Regióque titulo eius Vrbis & Hieroſolymæ per fœdus conceſſo decederet. Cùm nihil hoc modo proficeretur, bellumq́ue ardere inciperet, monuit Rex Catholicus ſuos, vt Gallos quâcunque ratione placarent. Exhorrebat enim arma, & pacis ſtudio flagrabat. Conuenêre igitur deſignati ex vtraque parte viri, & inſtauratâ diuiſione prorſus ex Gallorum commodo voluntatéque, Lucaniam, Principatum, Capitinatam ex æquo partiti ſunt. Interea nouus ex Gallia miles, & pecuniæ in ſtipendium affatim miſſæ; quo ſub-

*Difficultas inter eos.*

ſidio confirmati Galli rupêre moras, ſpretâque diuiſione Apuliam inuaſerunt. Renouatur itaque bellum, ſed in quo continuis pænè victorijs Conſaluus Magnus, admirabili diligentiâ, conſilio, fortitudine Regnum vniuerſum Regi ſuo acquiſiuit, aut potiùs Ius ipſius aſſeruit. Iulius II. Pontifex Maximus Ferdinandum Catholicum, Siculum, Neapolitanum, & Hieroſolymitanum Regem agnouit, & dixit. Illi ex ordine ſucceſſit Carolus V. cum matre Ioanna Regina; Carolo Philippus II. filius; deinde Philippus Tertius, & hodie Philippus Quartus.

*Hiſpani ſibi vendicant.*

*Ad Auſtriacos peruenit.*

Inſubriæ caput ſeu Metropolis Mediolanum eſt, à qua vrbe nomen ditioni eſt Ducatus Mediolanenſis. Varios Principes hæc Ditio experta eſt, inter quos, vt priores omittamus, Ioannes Galeacius Primus Mediolani Dux Cæſareâ authoritate renuntiatus, filios reliquit duos Ioannem Mariam, & Philippum Mariam; filias totidem, Annam Bauariæ Ducem, & Valentinam Ludouici Franciæ Regis vxorem, matremque Caroli Andegauenſis. Sublato morte violentâ ac ſine liberis Ioanne, Philippus Maria eius frater ſurrogatur, cuius filiæ tres fuêre legitimæ, nulli filij; proinde moriens Alphon-

*Duces Mediolanenſes Galeacij.*

Digitized by Google

Alphonſum Siciliæ Regem teſtamento ſuo Mediolani Ducem nuncupauit. Eo mortuo, Mediolanenſes volentes ſe in libertatem aſſe-rere, Philippi teſtamentum reiecère, & cùm ortum eſſet illis contra Venetos bellum, Franciſcum Sfortiam, (qui Blancam Philippi Ducis filiam notham duxerat) belli Ducem elegerunt. Eundem re benè geſtâ & multis victorijs clarum adnitente Coſmo Mediceo tandem etiam Mediolani Ducem renuntiarunt. Fuerunt illi filij quinque, Galeacius, Ludouicus, Aſcanius, Philippus, Octauianus; filiæ duæ Hippolyta & Maria. Galeacius patri Franciſco in Ducatum ſuffectus eſt, qui relictis filijs duobus Ioanne Galeacio & Hermete ex Bona Ludouici Secundi Sabaudiæ Ducis filia, propter libidinem & luxum, quo diffluebat, interfe-ctus eſt. Succeſſit illi admodum adhuc puer Ioannes Galeacius ſub matris & Ludouici Sfortiæ patrui ſui tutela. Verùm hic Ducatum inuaſit, à Mediolanenſibus, qui pueri ætatem contemnebant, receptus, & à Maximiliano Cæſare in Comitijs Vormatienſibus dato Diplomate Dux confirmatus. Victus poſtea fuit à Ludouico XII. Galliarum Rege, & in Fran- *Sfortiæ.*

*Varia Sfortiarum fortuna.*

ciam amiſſo Mediolano abductus, cùm ei ſupereſſent filij duo Maximilianus & Franciſcus Sfortiæ, ex Beatrice Eſtenſi Ferrariæ Ducis filia. Anno captiuitatis decimo Lugduni in carcere obijt Ludouicus. Tenebant Mediolanum Sfortijs excluſis Franci, donec annitentibus Pontifice Romano, Heluetijs, & Epiſcopo Valenſi circa annum M. D. XII. Maximilianus Sfortia Ludouici in Francia mortui filius à Maximiliano Cæſare in Ducatum paternum eſt reductus, nullo tamen aut titulo, aut diplomate conceſſo. Huius tempore redeuntibus in Italiam Gallis cùm bella pæne prioribus grauiora exorirentur, Maximilianus Ditione Mediolanenſi exutus, & in cuſtodiam Pariſios deductus, quindecim annis pòſt ibidem ſine liberis inter mortales eſſe deſijt. Interea ipſi quoqueFranci Mediolanum amisêre, captóque & in Hiſpanias ad Cæſarem abducto Franciſco Primo eorum Rege, Italia à Gallis eſt liberata. Potiebatur Cæſar Carolus V. Mediolanenſi Ducatu, quem partâ de Franciſco I. ad Papiam victoriâ facilè fugientibus Gallis accepit, ſed Maximiliani frater Franciſcus Sfortia ſupererat. Hunc Cæſar in Ducatum, quem

ſexennio

exennio Galli tenuerant, reſtituit, & poſtea miſſo per Lopem Vttardum Diplomate certis legibus Mediolani Ducem renuntiauit. Felix erat, niſi Moroni Conſiliarij ſui perfidiâ ferè perijſſet. Ipſe enim Sfortiam in fœdus cum Venetis, Pontifice, alijſque inducere tentauit, vt Cæſar & Hiſpani Italiâ eijcerentur. Nec deerat animus ſi in partes venire Piſcarius Cæſarei exercitus Dux, cui Regnum Neapolitanum promittebatur, voluiſſet. Is aures præbere ſe ſimulauit & animum texit, donec cognitis penitus hoſtium conſilijs, Cæſari coniurationem vniuerſam manifeſtauit. Tum capto per aſtum Morono, & Sfortiâ reo proditionis facto, quod Cliens contra Cæſaris patroni Maieſtatem coniuraſſet, atque idcircò in eiuſdem Cæſaris poteſtatem Inſubria recidiſſet, Mediolanum & maximam Ditionis partem occupauit, in Arce Sfortiam obſedit, vnde tandem deditione factâ liber exiuit. Rurſus illi in Cæſaris clementia ſpes omnis fuit, apud quem, cùm ſe Bononiæ, vt poterat, purgauiſſet, denuò nouis legibus Mediolanenſem Ducatum ſingulari beneficio recepit. Et Cæſar vt animum ſuum pacis amantiſſimum Italis teſtaretur, initâ cum Venetis



Digitized by Google

netis alijſque pace, Chriſtiernam Chriſtierni Daniæ Regis filiam, & ſuam ex Eliſabetha Auſtriaca ſorore neptem eidem Sfortiæ collocauit. Obijt tandem Franciſcus Sfortia anno M. D. XXXV. Octobris die XXIV. Inſubrum ſuæ Familiæ Dux poſtremus, & cùm nullos ex Chriſtierna, quæ vixdum pubuerat, liberos ſuſcepiſſet, Cæſar ex eius teſtamento Inſubriæ Principatum adijt, & ad poſteros ſuos tranſmiſit. Fuerunt hi Philippus II. Philippus III. & hodie Philippus IV. Auſtriaci & Catholici Principes, qui, quia Imperio obnoxia Inſubria eſt, & eius, vt appellant, clientale membrum, ſinguli authore patrono Imperatore poſſeſſionem adierunt, Diploma acceperunt, Sacramentum dixerunt, & etiamnum dicunt.

*Ad Auſtriacos peruenit.*

## CAPVT VIII.

### *De Prouincijs Principum Auſtriacorum in Indijs.*

SVpereſt vt de Prouincijs, quas Principes Auſtriaci in Indijs poſſident, dicamus. Quia verò eæ omnes aut Iuris Caſtellanici ſunt, aut Luſitanici, & Sereniſſima Auſtria-

*India per Hiſpanos Iuris Auſtriaci ſunt.*

corum

Digitized by Google

corum Familia Hiſpanias omnes, atque adeò Luſitaniam ſeu Portugalliam hæreditatis & legitimæ ſucceſſionis Iure ſibi vendicauit, dubium de eius in Prouincias iſtas & nouum Orbem Iure eſſe non poteſt. Author primæ ad Occiduos Indos nauigationis Chriſtophorus Columbus fuit, natione Ligur ſeu Genuenſis, ingentis animi vir, ſingulari induſtriâ, & rei nauticæ inprimis peritus. Hic cùm nauarchum quendam, qui in Africæ commercijs occupatus, ventorum violentiâ ad ignotas terras appulerat, reuerſum in Luſitaniam hoſpitio excepiſſet, ab eoque confectas de tota iſta nauigatione tabulas accepiſſet, vt erat in Aſtronomica diſciplina verſatiſſimus, non dubitauit, quin vltra noti orbis terminos ad Occidentem magna terrarum ſpatia paterent, & quæ adiri poſſent. Id Ioanni Luſitanorum Regi primùm, deinde Henrico Angliæ Regi eius nominis Septimo, ac tum Galliæ Regi communicauit. Quia ſomnia adferre videbatur, reiectus eſt. Inde ad Ferdinandum Catholicum Caſtellæ & Aragoniæ Regem ſe contulit, ab eoque tandem tres naues Regijs ſumptibus inſtructas accepit, quibus in Oceanum Atlanticum

*Indiarum repertor.*

*Prima nauigatio per Columbum.*

ticum egreſſus, præteritiſque Canarijs Inſulis, & ſuperatis vaſti pelagi fluctibus non paucas demum Inſulas in ea Regione, quæ Florida deinceps dicta eſt, inuenit. Earum exploratâ conditione & diuitijs, incoliſque ad ciuilem vitæ rationem compoſitis, Arcem ibidem conſtruxit præſidioque muniuit, & in Hiſpaniam iter denuò conuertit. Admoniti de ſucceſſu Reges, claſſe paulò pòſt inſtructiore Columbum remittunt, qui plures Inſulas alias; in his Hiſpaniolam & Cubam ſpatijs præ cæteris latiores, & magnam continentis illius partem explorauit, quod à freto Magellanico ad Boiadoris Promontorium eſt. Nihil illum & ſocios eius in eo tractu latuit. Sed ipſe quatuordecim annis pòſt immortali gloriâ digniſſimus obijt; cuius exemplo excitati alij varias Inſulas & littora ad Occaſum aperuerunt. In horum numero Americus Veſpucius Florentinus Braſiliam vniuerſam auſpicijs Emanuelis Luſitani explorauit. Vaſcus deinde Nonnius Balboa Iſthmum à portu Nominis Dei ad Panamam, & mare Antarcticum primus inuenit, magno ſanè Hiſpanicæ gentis fructu gloriâque. Plures in hanc rem incubuerunt, quos conſultò prætereo;

*Aliæ nauigationes.*

*Per Americum Veſpucium.*

*Per Vaſcum Nonnium.*

tereo; anno verò M. D. XIX. Ferdinandus Corteſius poſt multos labores Vrbem Mexicám & Pontonhauiam miraculoſo certamine, in quo D. Iacobus inter prælia ntes viſus, occupauit, ac plura inde loca Regi ſuo ſubiecit. Secutus eſt Ferdinandus Magellanus, qui quærendis Inſulis Molucis vela dedit, conceſsâ ſibi à Carolo V. poteſtate. Hic repertis primùm varijs Inſulis ad quinquaginta duos vltra Æquinoctialem gradus progreſſus, ingens fretum, ab eo Magellanicum dictum, audacter mortalium primus pertranſiuit. Multæ in eo freto Inſulæ ſunt. Inde ad Æquinoctialem reuertens ad vaſtiſſimum peruenit Oceanum, à quo non procul Molucas Inſulas eſſe ſibi perſuadebat. Sed ad alias Inſulas appulit, in quibus cùm nulla annona eſſet, nulliq́ue homines, eas Infortunatas appellauit. Ad aliam tandem, quæ Zebuta dicitur, peruenit, cuius Regem Chriſtianis documentis imbuit, & paulò pòſt in Mantanam deſcendit, vbi commiſsâ pugnâ in inſidias adductus occubuit, nec Molucas vidit. Ioannes Serra Magellani ſocer ſuperatis innumeris periculis demum anno M. D. XXI. ad Inſulam Tydoram è Molucis vnam ſub

*Per Corteſium.*

*Per Magellanum.*

*Per Ioannem Serram.*

N Æquino-

*Moluca Inſulæ repertæ.*

Æquinoctiali ſitam appulit, & ab eius Rege humaniter exceptus fuit. Ita tandem repertæ ſunt Molucæ, quarum præcipuæ ſunt quinque, Tydora, Terrenatum, Matira, Machia, Bachia, ab Hiſpania centum quinquaginta gradibus diſtantes. Ioannes Sebaſtianus Canoius naui vnâ, quæ Victoria dicebatur, ad Orientem tendens cùm vniuerſum pænè orbem circum nauigauiſſet, in Hiſpaniam redijt. Sed nolo hîc ſingulas in nouum orbem expeditiones referre.

Cæterùm, vt de Iure noui orbis occupati conſtet, vbi primùm Columbus ex priore nauigatione in Hiſpaniam redijt, Ferdinandus Rex Alexandro Sexto Pontifici per Legatum expoſuit, ſe iam pridem ſtatuiſſe, Inſulas aliquot & Continentis Regiones procul diſſitas & incognitas, nec antè à quoquam repertas inueſtigare, quò præſertim earum incolas ad Chriſti cultum adduceret. Hanc ob cauſam ſe cum claſſe, peritis nautis, militibuſque veteranis inſtructâ Columbum non ſine maximis difficultatibus, periculis, & expenſis per maria miſiſſe, quæ nunquam quiſquam nauigaſſet. Illum in Oceano Inſulas aliquot à noſtris nunquam

uam viſas, & Continentis Prouincias inue-
iſſe, quas pacis amantes quædam Gentes in-
olerent; eas corpore toto nudas incedere, ne-
que carnibus veſci; credere vnum Deum, at-
que eum cœlo contineri. Quæ res ſpem face-
et, eos homines à recipiendis noſtris moribus
& inſtitutis non alienos fore, ac facilè apud
eos, ſi inſtituerentur, Chriſti nomen Catho-
licámque Religionem introductum iri. Eas
porrò Inſulas terraſque auro, argento, & aro-
matibus abundare, ac multis etiam alijs varij
generis rebus pretioſiſſimis excellere. Velle
igitur eas ſibi per ſuos ſubigi, imperióque ſuo,
in eas Chriſtianam fidem inuecturus, adijci.
Ita refert Ioannes Metellus in Epiſtola ad An-
tonium Auguſtinum. Pontifex, vt idem com-
memorat, laudatis Regis Conſilijs, ipſum ad
ea exequenda per Baptiſmi ſacra, Chriſtíque
viſcera cohortatus, quò expeditionem arden-
tiori animo ſuſciperet, ſuſceptámque non in-
termitteret, eidem Regi, & poſteris Caſtellæ
Legioníſque Regibus ex Apoſtolica illa ſumma
authoritate, Cardinalibus vniuerſis vltrò, re
cognitâ, vno ore approbantibus, in perpetuum
plenéque conceſſit, donauit, & attribuit, om-

nes Inſulas, Continentiſque Prouincias repertas, & quæ in poſterum à ſuis reperirentur Occidentem & Meridiem verſus, ductâ ab Arctico Borealíve polo ad Antarcticum, hoc eſt Auſtralem polum, lineâ. Inſulas etiam illas & Continentis regiones inuentas, & quæ inuenirentur, Indiam vel quamcunque partem verſus. Ita quidem ductâ, vt ea centum milliaribus diſtaret à duarum Inſularum qualibet Occidentem Meridiemq; verſus; ab ea nempe Inſula, quæ vulgò Hiſpanis Axores à Falconibus dicitur; & ab altera, quam nunc illi Viride Caput, antiqui autem Heſperides appellant. Quarum omnium Inſularum & Continentis Prouinciarum quæſitarum & quærendarum idem Pontifex eundem Regem, & perpetuos eius ſucceſſores, veros legitimóſque Dominos cum libera omnimodáque in iiſdem poteſtate conſtituit. Si tamen quiſquam Chriſtianorum Principum Regúmque aliquam ex ijs Inſulis Continentiſque regionibus ante Chriſti natalem anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi tertij, à quo tempore donationis huius vires initium primum habent, poſſediſſet, ſalua ei ſua eſſet omnis auctoritas, nec vllum ei,

ab hac

Digitized by Google

ab hac donatione damnum aut præiudicium orirétur. Quò verò firmiùs ei Regi, poſteriſque donatæ hæ Inſulæ Prouinciæque cenſeantur, ſanxit Pontifex, ne quis abſque eius Regis ſucceſſorúmve permiſſu ad eas, ductâ, quæ dicta eſt, lineâ, comprehenſas, quicunque is tandem vel Rex vel Princeps, aliúſve foret, negotiationis & mercimoniorum aliáve ex cauſa nauiget. Qui fecerit, ei tum primùm aquâ & igni ſit interdictum, graui nimirum excommunicationis, quam appellant, fulmine feriatur. *Ne aliquo*, inquit Pontifex, *vnquam tempore, ô Rex, periculis, laboribuſq; tui terreantur, proq; certo habeant Deum Opt. Max. ipſorum principia promoturum. Ab eo manant imperia, is actiones tuas reget, optatumq; rerum ſucceſſum breui ad incredibilem populi Chriſtiani gloriam largietur.* Datæ huius Pontificiæ donationis litteræ ſolemnes IV. Non. Maias anno Chriſtianæ ſalutis M.CCCC. XCIII. Inde factum eſt, vt Hiſpani teſtentur vniuerſis ſe has Inſulas & Cõtinentis Prouincias ex Pontificis Maximi authoritate, cohortatione, ac iuſſu petijſſe bello, tum eas quærere, & ad Chriſtianam Religionem earum populos, id

quod Pontifex ijs præceperat, conuertere, hocque Iure quæſitas tanquam proprias adminiſtrare, tueri, retinere, conſeruaréque poſſe. Et ſanè nulla vnquam bella, quæ vel famâ, vel Scriptorum monumentis percepimus, ſanctiore inſtituto ſuſcepta videntur, quàm quæ ab Hiſpanis Luſitaniſque in nouo iſto orbe & Indijs ſunt geſta. Siquidem vnum illis propoſitum fuit, Chriſti gloriam, eiuſque Numen ac nomen ijs in locis illuſtrare, & ad barbaras iſtas Nationes Idolorum Dæmonúmque cultibus infames extendere, proferre, propagare. Fuerunt equidem, qui num Iure Gentes illæ commoueri bello poſſent, dubitauêre, ſed multi optimi grauiſſimique viri maximas ob cauſas eorum opinioni reſtiterunt, ac exemplis docuerunt, tam barbaras feráſque Gentes nullâ humanitatis ratione ad verum Deum cognoſcendum perduci poſſe, niſi primùm expugnarentur, & armis, ſub imperium ditionemque Principis Chriſtiani ſubijcerentur. Neque dubium eſt, inquit Ioannes Metellus, quin Gentes illæ Deum afficiant maximis & horrendis iniurijs contumelijſque, quas Chriſtiani minimè ferre debent, cùm ipſos omnibus in locis

& apud

& apud omnes omnis generis homines Dei gloriam ſemper in oculis & habere neceſſe ſit, & ipſum Deum coràm palàmque confiteri. Negare quippe Deum videntur, qui ſeſe ijs, cùm poſſint, non opponunt, qui illum tam crudeliter impetunt ac conuitijs dilacerant. Et ſi ab amico auertere iniuriam amicus debet, quantò magis Chriſtiani laborare tenentur, vt à Chriſto contumeliam propulſent, & illatæ ipſi iniuriæ vindices exiſtant? Itaque Hiſpani Luſitanique totis ijs Prouincijs, in quibus trophæa fixerunt, nihil antiquius ſibi duxerunt, quàm vt Deo Duce Chriſtianam Religionem in ijs multo ſuo ſanguine ſancitam fundarent. Franciſcus à Victoria Theologus planè eximius, & Salmanticenſis Academiæ præclariſſimum aliquando decus Relectione quintâ, Sectione tertiâ aſſerit, quod etſi Pontifex ciuile Dominium in orbem vniuerſum non teneat, poteſtatem tamen habeat in temporalibus in ordine ad ſpiritualia, cùm ad eum ſpectet, vt in totum orbem Euangelij doctrina propagetur, potiſſimùm curare. Proinde, cùm rebus ſpiritualibus ita expediret, potuiſſe illum ſolis Hiſpanis Chriſtianæ Religionis propagationem commit-

committere, alijs eandem, atque adeò commercia cum Indis interdicere. Ne nimirum ſi alij ex alijs Prouincijs paſſim eò concurrerent, aut inuicem quâdam æmulatione ſeſe impedirent, aut ſeditionibus exortis creſcentis Religionis negotium ac tranquillitatem perturbarent, ſicque fieret, vt à fide noſtra Barbari abhorrerent. Præterea, inquit, cùm Principes Hiſpani ſuis auſpicijs & ſumptibus primi omnium in Indias nauigationem ſuſceperint, & tam feliciter nouum Orbem inuenerint, iuſtum eſt, vt ea peregrinatio alijs interdicatur, & ipſi ſolùm inuentis fruantur. Plures ille titulos ibidem refert, eoſque legitimos, quibus Barbari in ditionem Hiſpanorum venire potuerunt. Nos hîc illos conſultò præterimus. Porrò cùm inter Caſtellanos Luſitanóſque initio nauigationum iſtarum de quibuſdam Inſulis exorta controuerſia eſſet, placuit eam ad Alexandri Sexti Pontificis arbitrium referre. Is ex Coſmographorum iudicio conſtitutâ ab Aquilone per Meridiem verſus Occidentem lineâ, quicquid ad Orientem terrarum reperiretur, Luſitanici Iuris eſſe iuſſit, quicquid ad Occidentem, Caſtellanici. Non erat eâ ſententiâ con-

*Diuiſio orbis noui inter Caſtellanos & Luſitanos.*

tiâ contentus Ioannes Luſitaniæ Rex, milleque & ſexcentis milliaribus ab Africa lineam iſtam verſus Occidentem trahi magis poſtulabat; nec renuit Ferdinandus Catholicus alibi tum bellis implicatus. Quæ poſtea difficultates extiterunt, facilè ſunt ſopitæ. Factâ autem tam audaci Orbis terrarum diuiſione, Caſtellani Luſitaniq́ue felicibus auſpicijs nouas terras Inſulaſq́ue inuenire, Religionem Catholicam diſſeminare, & Regum ſuorum, imò Regis ſui, qui hodie omnium Hiſpaniarum eſt vnus & Auſtriacus, Imperium non deſinunt amplificare. Qui de Iure eorum dubitat, legat Franciſcum à Victoria, Alexandri Sexti Diploma, Oſorium Metellum, & alios, quos alio in volumine referemus.

**Atque vt in hac Prouinciarum Auſtriacarum enumeratione finem aliquando faciam, nemo non videt ampliſſimum quidem Auſtriacæ Domus Imperium eſſe, & quo vix vnquam vllorum Principum maius fuit, ſeu vetus æuum, ſeu hoc noſtrum conſideremus; nullam tamen in eo Prouinciam reperiri, quam non aut legitimâ hæreditate, aut affinitatis vel connubij Iure, aut do-**

natione, aut teſtamento, aut denique iuſtâ emptione ſibi comparatit. Mouit arma nonnunquam, ſed vt Ius ſuum tueretur, & relictas ſibi à Maioribus ditiones contra vim aliorum vendicaret. Miratur meritò mundus diuinum hac in re Iudicium. Cùm enim Auſtriacam Familiam extollere ſupra cæteras in hoc Orbe Deus vellet, non illi vim armatam, vt per aliorum ruinas ſeſe amplificaret, conceſſit, verùm cùm eodem ferè tempore Burgundica Domus Prouincijs aucta Belgicis creſceret, latè etiam Aragonica Caſtellanicáque per vtriuſque Siciliæ Regna, totque Inſulas & nouum Orbem ſeſe extenderent, effecit ille, per quem Reges regnant, vt tres illæ nobiliſſimæ potentiſſimæq; Domus in vnam Auſtriacam non armis, ſed matrimoniorum Iure coaleſcerent. Singularis illa prorſus Dei beneuolentia eſt, ſed nimirum cùm Sereniſſimam hanc Domum ſuæ Religionis columnam in terris conſtituere, & illam Principum eius ope propagare tuerique vellet, animum illis indidit, & potentiam adiecit. Debent Auſtriaci proinde diuinæ erga ſe benignitati incrementa ſua, debent Imperij ſui magnitudinem, debent tot Prouinciarum potentiam; id con-

*Burgundica, Aragonica Caſtellanica Domus in vnam Auſtriacam coalueruut.*

id confitentur, id agnoſcunt, id deprædicant. Alias huius Europæ noſtræ Familias, cùm volet idem Deus diuinâ ſuâ bonitate extollet, & amplificabit.

## CAPVT IX.

*Reſponſio ad prætenſum Ius Francorum in quaſdam Principum Auſtriacorum Prouincias.*

SAtis eſſe poterat ea Iura, quibus Auſtriacæ Familiæ Principes Imperium ſuum acquiſiuerunt, hactenus oſtendiſſe, tam legitima & ab armis tam remota; ſed quoniam in meridiana luce nihil adhuc vident, qui inuident, & Ius quoddam in nonnullas Auſtriaci Imperij Prouincias, Franci potiſſimùm, iactitant, examinemus illud ſanè, & ne tam iuſtis Principibus iniuſtitiæ notam inurant, paucis, quantum patitur hoc inſtitutum noſtrum, reſpondeamus. Ius ſibi inprimis eſſe aiunt, in Regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanenſem, & Nauarram; deinde in nonnullas Belgij Prouincias, & Comitatum Rhuſcinonenſem, ac demum in aliqua etiam Hiſpaniæ loca. De ſingulis hoc ordine dicemus.



Digitized by Google

## De Regno Neapolitano.

*Prætenſum Ius Gallorum in Regnum Neapolitanum.*

IN Regnum Neapolitanum ita Ius ſuum Franci proponunt. Quod Carolus Andegauenſis, occupante Siciliam Manfredo, ad vtriuſque Siciliæ Regnum euocatus à Pontifice ſit, ab eoque Regni Ius & Regis titulum acceperit, ac demum ſuperato Manfredo concedente Apoſtolicâ Sede poſſederit. Accedit quod Ludouicus Andegauenſis à Ioanna II. Neapolis Regina in filium, reiecto Alphonſo Aragono, ſit adoptatus, cui Renatus eodem Iure ſucceſſit. Vrgent & Pontificum conceſſiones, quibus ratam Regni iſtius poſſeſſionem fuiſſe volunt.

*Reſponſio de Iure Auſtriacorum.*

At verò Sereniſſimi Principes Auſtriaci cum authoritate Pontificia priuatum Siciliæ Regno Manfredum fuiſſe confiteantur, tum Ius eiuſdem Regni penes Conradinum Conradi filium & Frederici nepotem manſiſſe contendunt, nec vnquam illi, cùm legitimus hæres eſſet, à Pontificibus ablatum. Is autem cùm Neapoli Caroli Andegauenſis iuſſu caput ſubijcere ſecuri cogeretur, proiectâ è theatro chirothecâ Ius omne ſuum in Regum Hiſpaniæ Familiam tranſtulit, hæredémque ſuum Fre-

dericum

lericum à Caſtella amitæ filium pronuntiauit. Eam chirothecam, vt Pius Pontifex ſcribit, nobilis vir quidam excepit, & Petro Aragoniæ Regi præſentauit. Fuiſſe equidem à Ioanna Secunda adoptatum Ludouicum, ſed eadem iam ante Alphonſum adoptarat, & in eum Regni ſui Ius propter ſingularia merita contulerat. Adeò quod acceptatum erat & placuerat, vt Iura volunt, reuocari omninò nec potuit, nec debuit. Quanquam ſi reuocari potuiſſe concedamus, fatendum erit potuiſſe Reginam eodem Iure factam de Ludouico adoptionem irritam reddere, & priorem Alphonſi confirmare, quemadmodum factum eſſe Hiſtoricorum fides teſtatur. Iam cùm ante Ioannam Ludouicus è viuis exceſſerit, nullam Regni hæreditatem adijt, nec in poſteros tranſmiſit. Neque hactenus Auſtriacis, & ante eos Aragonijs, Pontificiæ conceſſiones defuerunt; imò etiam publicâ Iulij Secundi ſententiâ declaratum Hiſtorici affirmant, Neapolitanum Hieroſolymitanúmque Regnum ad Ferdinandum Catholicum pertinere, cui Auſtriaci in Hiſpania Reges ad hæc vſque tempora Pontificibus Ius

 eorum

eorum approbantibus ſucceſſerunt. Ijdem quotannis Apoſtolicæ Sedi quod & quantum debent, cum honore præſtant, & ſupremam Eccleſiæ authoritatem agnoſcunt. Rationes alias, ne modum excedam, hîc omitto.

## *De Ducatu Mediolanenſi.*

*Prætenſum Ius Francorum in Ducatum Mediolanenſem.*

MEdiolanenſem Ducatum hoc iure vendicare ſibi Galli contendunt. Ioannes Galeacius Mediolanenſium Dux Primus præter filios Ioannem & Philippum, filiam habuit Valentinam. Hæc Ludouico Aureliano Caroli Sexti Galliarum Regis fratri nupſit eâ lege, quam pater dixit, vt ſi Galeacij liberi mares, nepotes, cæteriſque deinceps poſteri ſine liberis maribus decederent, Valentinæ, eiúſque poſteris Mediolanenſis ditio hæreditaria redderetur. Ita refert Franciſcus Belcarius Metenſis Antiſtes. Bonifacius Nonus Pontifex eam ſucceſſionis futuræ legem approbauit. Cùm autem Ioannes & Philippus Galeacij Valentinæ fratres nullâ ſuperſtite maſculâ prole, quæ è legitimo thoro eſſet, vitam cum morte commutarint, Mediolanenſem Principatum dubio procul ad Carolum Aurelianum Valentinæ

tinæ filium hæreditario Iure deueniſſe, ab eo ad alios, & ad ipſos etiam Franciæ Reges ex eadem ſtirpe. Et hi quidem plurima grauiſſimaque bella pro Mediolanenſi Principatu geſſerunt, eundem non ſemel obtinuerunt, Cæſareum Diploma & poſſeſſionis Ius acceperunt, vt à Maximiliano Cæſare Ludouicus XII. Præterea Maximilianum Sfortiam, (cuius pater Ludouicus Sfortia titulum & Diploma à Maximiliano Cæſare acceperat) Ius omne ſuum in Mediolanenſem Ducatum Franciſco I. Francorum Regi ceſſiſſe.

Ius autem ſuum Auſtriaci Hiſpaniæ Reges non leuibus ſanè rationibus tuentur. Ac inprimis ſubſtitutionem Valentinæ Ioannis Galeacij filiæ matrimoniali contractu ſtabilitam Imperatores, qui Ducatus Mediolanenſis ſunt Patroni, ratam nequaquam habuerunt, nec illius petita ab ijs approbatio eſt. Erat tum quidem Interregnum, at peti tandem ab electo Cæſare potuit, quod factum non eſt. Neque hoc Pontificum Romanorum Ius eſſe, vt cùm vacat Imperium, feuda Imperij concedere, aut factas de eorum Iure donationes quâcunque ratione poſſint inſcijs Imperatoribus, aut eorum in Germania

*Reſponſio de Iure, Auſtriacorum.*

Digitized by Google

mania Vicarijs Imperijque Ordinibus approbare. Hac euersâ Valentinæ ſubſtitutione, quæ vim habere ſine Cæſaris Patroni conſenſu nunquam potuit, Francorum Ius vniuerſum corruere. Id vidiſſe Philippum Mariam Valentinæ fratrem, qui nullâ habitâ ſubſtitutionis eiuſmodi ratione moriturus Alphonſum Aragonum teſtamento hæredem ſcripſit, & Mediolani Ducem nuncupauit. A quo non longo ſucceſſionis ordine Ius ipſius Hiſpaniæ Reges acceperunt. Maximilianum Cæſarem datam Ludouico Sfortiæ, vt loquuntur, inueſtituram, poſtea reuocauiſſe, nec filios eius in fidem receptos fuiſſe. Eundem Cæſarem quidem Ludouicum Regem tam eius, quàm Claudiæ filiæ nomine Clientem agnouiſſe, ſed eâ lege, vt niſi Claudiam Carolus Auſtriacus (qui poſtea Imperator) vxorem duceret, nec per eum ſtetiſſet, nullum Ius Ludouici eſſe cenſeretur, ſed ad vnum Carolum perueniret. Atque hoc ita ratum videri debere, vt irritum reddi deinceps, (quicquid alijs conceſſum fuerit) nequaquam potuerit. Maximilianum Sfortiam, qui ceſſiſſe Franciſco Regi Ius ſuum dicitur, nunquam à Cæſare Clientem agnitum, nec titulum, nec

Diplo-

Digitized by Google

Diploma accepiſſe; proinde Principatum in Franciſcum I. transferre ſine Cæſaris Patroni authoritate nunquam potuiſſe. Imò Franciſcum poſtea Iuri ſuo, ſi quod vnquam fuit, non ſemel renuntiauiſſe. Denique Auſtriacos hactenus à Cæſaribus Patronis clientes ſemper agnitos, titulo, & Diplomate ornatos, Imperium agnouiſſe, ei nunquam, vbi opus fuit, defuiſſe.

## *De Regno Nauarræ.*

NAuarra Hiſpaniæ Regio eſt, cuius pars præcipua trans Pyrenæos montes & in ipſis montibus, altera cis montes Galliam verſus. Metropolis Pompelona ſeu Pompeiopolis eſt. Antiquitus Reges ſuos habuit; tum Romanis, poſtea Gothis paruit, tandem à Mauris quoque, vt aliæ in Hiſpania Regiones, occupata. Garſias Ximenius eiuſq; ſucceſſores Mauris paulatim eiectis receperunt, ac tum Duces ſuos cum Aragonia habuit vſque ad Ennicum Ariſtam, qui primus Rex fuit, & Nauarram cum Aragonia ad poſteros tranſmiſit. Inter hos Sanctius Maior, diuiſis inter filios Regnis, Garſiæ Nauarram aſſignauit, quem multi alij ſecuti

ſunt à nobis hoc loco non recenſendi.

*Ius Frãciæ Regum in Nauarram.*

In hoc Nauarræ Regnum Ius ſuum Franciæ Reges ita aſtruunt. Carolus Tertius Nauarræ Rex filiam vnicam, ex Leonora Caſtellana, Blancam habuit. Hanc Ioanni Ferdinandi Aragonum Regis filio eâ lege coniugem dedit, vt ſi illa è viuis ante eum excederet, etſi nullæ eſſent ex eorum coniugio proles, ipſe in Regno ſucceſſor eſſet, & adminiſtraret. Ioannes igitur poſt mortem Caroli ſoceri ſui Nauarræ Rex eſt renuntiatus, & ex Blanca coniuge filium vnum Carolum, filias duas Blancam & Leonoram ſuſcepit. Carolus mortuâ matre Blancâ, vt ſibi Regnum aſſereret, bellum patri mouit, ſed fruſtrà. Obijt ipſe immaturâ morte ante patrem, quem Regno depellere tentârat. Blanca filiarum vna & natu maxima Henrico Quarto Caſtellæ Regi nupſit, altera Leonora Gaſtoni Comiti Foxano. Et hæc mortuo fratre Carolo ſororéque Blancâ, cùm ſola Regni hæres eſſet, Ioanni Patri ſucceſſit, factáque Regina maritum Gaſtonem Regem fecit. Ex eorum coniugio extitit Gaſto, cuius filius Phœbus fuit. Ex Phœbo geniti Franciſcus Phœbus & Catharina, ille breuiſſi-

breuiſſimo tempore ſub aliorum tutela vixit & rexit, poſt cuius fatum Catharina ſoror Nauarræ Regnum hæres adijt, & Ioanni Albreto nupſit. Coronatus hic Pompelonæ fuit, & ex Catharina coniuge Henricum Albretum filium ſuſcepit. Henrico data vxor Margareta Franciſci Primi Galliarum Regis filia, quæ ei Ioannam peperit vnicam Nauarræ hæredem. Ioanna Antonio Borbonio nupſit; & hi parentes fuerunt Henrici Borbonij, eius nominis Quarti, Galliarum poſteà Regis, cuius filius Ludouicus Decimus Tertius hodie in Francia feliciter regnat. In hoc legitimæ ſucceſſionis ordine Ius ſuum Franciæ Reges conſtituunt.

Porrò Ioanni Albreto circa annum M. D. XII. Ferdinandus Catholicus Aragoniæ & Caſtellæ Rex Nauarræ Regnum his de cauſis ademit. Iulius Pontifex cùm cognouiſſet Nauarræ Regem Eccleſiæ hoſtibus fauere, & Patres Piſani Conuentus hoſtes ſuos omni beneuolentiâ auxilióque complecti, re cum Cardinalium Senatu communicatâ, Albretum Nauarræ Regem & Catharinam Reginam ſententiâ ſuâ anathemate ritu Chriſtiano deuinxit, Regno excidiſſe declarauit, & ad illud occupan- *Reſponſio de Iure Hiſpaniæ Regum.*

dum Principes alios inuitauit. Pronuntiata Romæ ſententia fuit XII. Calendas Martij. Diploma ad Ferdinandum Catholicum in Hiſpanias miſſum, vt Pontificium decretum exequeretur. Is ſub Martij finem Petrum Hontanonium miſit, qui Reges officij ſui admoneret, & ſi ſaperent, cum Gallo rationes non miſcerent, neque ſuis, neq; Eccleſiæ hoſtibus fauerēt, aut per fines ſuos tranſitum darent. Vtriuſque rei Henricus eorum filius in Caſtellam ablegaretur certâ coniugij ſpe cum Iſabella aut Catharina Ferdinandi neptibus. Honeſtiſſima erant hæc poſtulata, ſed Nauarræus Gallicis fretus opibus, ſi quid aduerſi incideret, animo feroci repulit, Ferdinandi amicis moleſtus fuit, delectus in ditione ſua habuit. Ne id faceret, monebat eum Ribera limitum iſtorum Præfectus, ſed fruſtrà. Ita Mariana & alij referunt. Igitur Ferdinandus, vt Albretum ad ſaniora conſilia reuocaret, Albano mandatum dat, vt Nauarram inuadat, qui nihil cunctatus, fruſtra reſiſtente Albreto, Regnum vniuerſum occupauit. Conſternatus eâ iacturâ Albretus inopſque conſilij, facturum ſe, quæcunque imperarentur, per Legatos promittit. Breue reſponſum,

ponſum, daret Regnum, & filium obſidem, donec ſociale bellum,& Eccleſiæ diſſidia componerentur. Hoc reſponſo irritatus Albretus, n Galliam deſcendit,multa poſtea conatus,ſed ortuna felicem ſucceſſum inuidit. Ita Nauarræ Regnum Pontificiâ ſententiâ Hiſpano ceſſit. Nec id nouum; plures enim olim Reges Apoſtolicæ Sedis decreto ditione ſuâ ſpoliati unt, quos extrema meritos furiali carmine Pontifices deuouerunt, & Iure ſacro maledixerunt. De ea poteſtate diſputandi locus hîc non eſt; morem iſtum Maiores exemplis ſuis dederunt.

Sed non vna cauſa perditi Regni fuit, hæc altera eſt. Ferdinandus ad iuſtum bellum profecturus, tranſitum ab Albreto Rege per Nauarram petijt, viam nimirum Iure gentium cunctis mortalibus communem. De damno abundè cauebat, & innoxium iter ſuum eſſe volebat. Negauit Albretus, ſed *Arma tenenti Omnia dat, qui iuſta negat.* Viam vi ſibi fecit Ferdinandus,Regnum inuaſit,& tenuit.Exempla in ſacris voluminibus ſunt, quæ diuinum & Naturæ Ius oſtendunt. Seon Amorrhæorum Rex Iſraëlitis in terram ſibi promiſſam

tendentibus tranſitum negârat, Moyſes diuinitus admonitus Regnum inuaſit,& poſſidendum Iſraëlitis tradidit. Iudas Machabæus ſuperatis Galaaditis victor cùm in Iudæam rediret, nec alia via eſſet, tranſitum per vrbem Ephron nulli nociturus petijt. Petitioni eius portas clauſas Ephronitæ obiecerunt: at Iudas vrbem aggreditur, vno die nocteque vnâ oppugnat & expugnat; cæſis deinde virilis ſtirpis omnibus, vrbeque ſpoliatâ, per abiecta mortuorum cadauera tranſit.

Fortaſſis etiam occultum aliquod hac in re omnipotentis Dei iudicium licet ſuſpicari. Fuerant Ioanni Aragono Nauarræ Regi, vt ſuprà retulimus, filiæ duæ, Blanca natu maxima Henrico Quarto Caſtellæ Regi nupta, & Leonora, quæ ad nuptias Gaſtonis Comitis Foxani tranſiuit. Leonora cùm videret ſororem ſuam ab Henrico Rege ob naturæ vitium repudiatam, vt Regno potiretur, fraude cum marito communicatâ veneno eam ſuſtulit. Patrato ſcelere vix dies quindecim regnauit Gaſto, nec diu pòſt obijt Leonora. Horum filius Gaſto & Gaſtonis Phœbus non diu vixerunt. Phœbi filius Franciſcus Phœbus in ipſo ætatis flore vitam

amiſit

Digitized by Google

niſit ſuperſtite Catharinâ ſorore, quæ Ioanni
breto nupſit, cui Regnum Hiſpanus ademit,
tanquam auulſum Hiſpaniæ membrum
iſpaniæ iterùm coniunxit. Ita patrum ſcelus
quartam vſque ſtirpem vindicauit Deus, &
:r omnes patrati parricidij affines eorumque
ſteros peruagata cœleſtis ira, haud longo
mpore pœnas à ſingulis improbæ cupidi-
tis exegit, vt ait Mariana.

Quid, quod etiam Blanca prior Henrici IV.
aſtellæ Regis vxor Ius ſuum certâ voluntate
nationeque in Caſtellæ Reges tranſtulit? Ita
nnulli Scriptores tradunt. Quid, quod Ger-
ıana Foxana Ferdinandi Catholici vxor Na-
ırræ *R*egnum, in quod Ius prætendebat, Ga-
nis Namurſij fratris in locum, Carolo Au-
riaco Caſtellæ & Aragoniæ iam *R*egi in Con-
:ntu Cæſarauguſtano ceſſit? Id etiam quidam
:ibunt, nec ſuſpicioni fides deeſt. Sed ego hîc
perſedeo; videat, qui certiſſimum Hiſpaniæ
egum Ius cognoſcere cupit, Ælij Antonij
ebricenſis de Bello Nauarrienſi Commen-
rium; videat Nauarrum, qui maniſeſtiſſimis
ud rationibus aſſerit, & confirmat. Certè
uſtriaci non niſi legitimâ ſucceſſione à Fer-
dinando

dinando Catholico vſque ad Philippum IV. per parentes in filios continuatâ Nauarram obtinuerunt. Iudex ſit ille, qui tempora ſæculaque commutat, qui Regna euertit fulcitque, qui Regnum de Gente in Gentem, cùm libitum eſt diuinæ eius voluntati, transfert. Vtraque Gens Hiſpanorum & Gallorum belli cupida eſt, & inter eas, neſcio quo fato, nunquam ſatis conuenit; Pyrenæis montibus eas diſiungi multi expedire iudicant. Hos certè terminos Natura ijs poſuit.

### *De Comitatu Flandriæ.*

*Prætenſum Ius Francorum in Flandriâ.*

FRanci Regum ſuorum in Flandriæ Comitatum Ius rationibus hiſce ſtabiliunt, & vbique iactitant. Inprimis quod Flandria ante Caroli Magni tempora Franciæ pars fuerit; eam idem Carolus Lyderico Comiti Harlebecano donârit, qui tanquam Præfectus & Regis Franciæ Vicarius illam adminiſtrârit. Eodem titulo Lydericum ſecuti ſint Englerannus Lyderici filius, & Odoacer Engleranno genitus, qui Flandriæ Saltuarij ſeu Foreſtarij ſunt dicti. Balduinus deinde Ferreus Flandriæ Primus Comes à Carolo Caluo creatus ſit, & inter

r Franciæ Pares adſcriptus, cuius filiam Iudi-
iam vxorem ducendo dotis nomine Flan-
ɾiam acceperit, ſeu totam eam regionem, quæ
caldi, Somonâ, Oceanóque includitur. Ean-
em alij deinceps Comites tenuerunt, ſed ita
: fidelitatis Sacramentum Franciæ Regibus
ixerint, ſeu, vt loquuntur, Homagium ſolem-
i ritu, in agnitionem ſupremi Iuris & Maie-
atis, exhibuerint, obſequium aduerſus Re-
os hoſtes promiſerint; quibus præſtitis in Re-
ni Franciæ Comites delibatâ Regis genâ re-
ipiebantur. Hoc officium præſtiterunt Bur-
undi Auſtriacique Principes, poſtquam Flan-
iæ Comitatum obtinuerunt, adeóque ipſe
arolus Quintus, cuius nomine anno M. D.
IV. Henricus Naſſauius, Michael Croiacus,
ijque Pariſios miſſi in primo vrbis templo
alendis Aprilis Clientale Sacramentum Fran-
æ Regi pro Flandria Artheſiáque dixêre. Ac-
edit, quod non ſemel in controuerſijs Flan-
riæ Comitum Arbiter Franciæ Rex pronun-
ârit; quod ab huius Prouinciæ tribunalibus
d ſupremam Franciæ Curiam, ſeu, vt vocant,
'ariſienſe Parlamentum, conceſſa prouocatio
ıerit; quod Lege Salicâ deficiente maſculâ

Q  prole

prole poſt Caroli Burgundi obitum Ius integrum Flandriæ ad Franciæ Reges redierit, qui præterea propter rebellionem aliquando Flandriam Regio Fiſco addixerunt, & in ea nonnunquam capitis propter defectionem reis indulſerunt, aut vltimo etiam ſupplicio mactârunt. Quæ omnia ſupremæ Maieſtatis ſunt ſigna.

*Reſponſio de Iure Principũ Auſtriacorum.*

Nihil hîc negotij, facilis enim Auſtriacorum reſponſio eſt. Flandriæ partem Francis olim paruiſſe, in ea conſtitutos poſteà Præfectos ſeu Saltuarios fuiſſe, ac denique Comites, qui Regionis Dominium tenentes, Francorum Regi clientale Sacramentum dicerent, inficias non eunt. Sed & ijdem Comites propter Aloſtanam Waſiamque Ditionem cum quatuor Ambactis, vt vocant, fidei Sacramento Imperatori obligabantur, & ab eo inter Imperij Principes adſcribebantur. Neque verò Flandriæ Comites olim aliorum inſtar Franciæ Principum erant, ſed authoritate poteſtateque eminentes liberè ac Regio more munia obibant, exercitus conſcribebant, delectus habebant, bellum aut pacem ſuo arbitrio faciebant, vectigalia imperabant, ac denique quic-

Digitized by Google

uicquid ad Maieſtatem ſpectat, exercebant,
quippe ſe *Dei gratiâ* Comites nuncupabant
: ſcribebant, quod ſoli inter Franciæ Princi-
es Britanno præterea conceſſum. Nec ignota
l Flandriæ Comitum moneta, & quæ largiti
riuilegia omni tempore ſunt, hodie adhuc
m habent, & religiosè ſeruantur. Vnde
uanquam Franciæ Regibus & Imperatori-
us fidei Sacramento attinerentur, ſupre-
ıum tamen quoddam Imperium, quod Lati-
i Maieſtatem appellant, obtinebant, non
liter quàm hac ætate Mediolani, Sabaudiæ,
Mantuæque Duces, & Reges Neapolitani,
uorum Maieſtati nihil ea obligatio detrahit,
uâ Monarchis alijs ſunt obnoxij. Porrò Flan-
riæ Principatum iuſtâ legitimâque ſucceſſio-
e ac Iure connubiali ad Burgundos primò,
einde ad Auſtriacos perueniſſe iam Capite
uinto docuimus, vt dubium omninò eſſe
on poſſit, quin proprij Regionis iſtius Do-
nini ſint, quos arcere ab eiuſmodi hæredita-
: nullum vnquam Ius, nullæ leges potue-
ınt. Neque vnquam Salicæ Legi locus hîc
uit, ſemperque deficientibus maſculis, in pa-
entum locum fœminæ ſucceſſerunt. Nam, vt

 ait

Digitized by Google

ait Iacobus Marchantius lib. 2. Commentariorum de Flandria, *Principe rebus humanis exempto proximus ſanguine, nullo ſexus diſcrimine, ſuccedit, ſtatimq́; Principatus officijs fungitur.* Seruent Salicam Legem Franci, eam Flandri non agnoſcunt, quæ proinde poſt Caroli Burgundi obitum repellere Mariam filiam ab eius Principatuum hæreditate nequaquam potuit. Ei tanquam Principi ſuo id temporis Flandri iurârunt, qui ad Franciæ Reges deuolui patriam ſuam potuiſſe ne quidem ſunt ſuſpicati, neque id tum Franci contenderunt. Debuerunt equidem Flandriæ Comites pro aliqua Ditionis ſuæ parte Franciæ Regibus Homagium, vt recepto vocabulo vtar, exhibere; & exhibuerunt quamdiu ea obligatio deuinctos tenuit. Fuit quoque recepta longo tempore ad Pariſienſis Senatus Curiam prouocatio; & durauit illa, donec liberatos ab ea Flandros Galliæ Reges pronuntiârunt. Atque vt pluribus ſuperſedeam, & vno verbo Ius hoc omne, quod in controuerſiam venit, definiam, cùm Franciæ Reges Iuri in Flandriam ſuo, qualecunque fuit, ſolemni ritu renuntiârint, quemadmodum infrà demonſtrabimus,

Ius

Digitized by Google

Ius in Flandriam prætendere nullum ſanè poſſunt. Quod ſi nonnunquam Flandriæ Comites ſua in Francos arma conuerterunt, non idcircò ſuæ Ditionis Iure exciderunt, aut fidem violârunt; iuſta eos cauſa impulit, quæ nulli vnquam damno eſſe debet, vt aut ſua legitimo bello repeterent, aut vim à ſuis vrbibus arcerent. Neque ita obnoxij ſunt Patrono Clientes, vt iniuriam pati ab eo debeant, repellere non audeant. De horum bellorum cauſis videat, qui volet, Hiſtoricos.

## *De Comitatu Arteſiæ.*

ARteſiam olim Flandriæ, partem fuiſſe aiunt Franci, poſtea Franciæ rurſus adiunctam per Philippum Auguſtum Gallorum Regem, cui cùm nupſiſſet Eliſabetha Balduini Hannoniæ Comitis & Margaretæ Elſatiæ filia, in dotem à Philippo Elſatio auunculo ſuo eam terram accepit, quæ hodie Arteſia nuncupatur. Is enim prole carebat. Ludouicum deinde Octauum eam Ditionem tenuiſſe, ac tum Diuum Ludouicum fratri ſuo Roberto Arteſiam eâ lege ceſſiſſe, vt Regni feudum eſſet. Robertum plura alia Arteſiæ loca adieciſſe, quem or- *Prætenſum Ius Francorum in Arteſiam.*

dine ſecuti alij ſunt Comites, (nam Ludouicus Rex ſanctiſſimus Arteſiam Comitatus titulo donarat) vſque ad annum 1437. quo Carolus Arteſianus Comes D'Eu Franciæ Par, quia Regis Angliæ partes fuerat ſecutus, Ditione illâ exutus eſt, eaque fiſco addicta rurſus Franciæ Regno, vt antè, coniuncta eſt. Sic Franci.

*Reſponſio de Iure Auſtriacorum Principum.*

Ita verò ſe res habet, nec difficile eſt pro Auſtriacis reſpondere. Fuit Arteſia Flandriæ pars olim, Prouincia ſeorſim poſtea habita eſt, poſtquam Eliſabetha Elſatia Philippi Auguſti Galliarum Regis vxor à Philippo Elſatio in dotem accepit Atrebatum, Audomarum, Ariam, Heſdinum, Bapalmam, Lenſium, cum Homagijs, vt appellant, Bononiæ maritimæ, Sancti Pauli, Ghiſnæ, Silerij, Ardeæ, Richeburgi, aliaque citra Foſſam nouam Aduocatiæ Bethunienſis loca, quæ ad poſteros Iure hæreditario tranſmitteret. Hæc enim prima Arteſiæ Comitatus origo fuit, nomenque additum, & Iuriſdictio à Flandria diſtincta. Eius Metropolis Atrebatum tunc eſſe cœpit. Succeſſit Philippo Auguſto Ludouicus eius & Eliſabethæ filius, quem nonnulli Primum Arteſiæ Comitem dicunt. Ludouicum ſecutus eſt Robertus filius

is, cui Diuus Ludouicus frater tum Gallorum Rex ex patris voluntate ſupremum Arteſiæ Dominium in ampliſſimo totius Regni Magnatum Conſeſſu palam reſignauit, Prouinciæque Comitatus titulum tribuendo fratrem Robertum Primum Ateſiæ Comitem ſalutauit. Datum eſt Diploma Compendij anno Chriſti M. CC. XXXVII. In huius Roberti Imperium & in Arteſiæ Comitatum ſucceſſit Robertus filius eius nominis Secundus, vulgò Illuſtris dictus. Reliquit hic Arteſiæ hæredem filiam ſuam Macthildim, quæ Othoni Burgundiæ Comiti & Salinarum Domino iam pridem nupſerat. Obijt paulò pòſt Otho ex vulnere in pugna contra Flandros ad Audomaropolim accepto. Poſt Macthildim Ioanna eius filia Arteſiæ Comes renuntiata eſt, tum vidua Philippi Longi Francorum Regis, ex quo cùm præter filias alias Ioannam Othonis Burgundiæ Ducis vxorem ſuſcepiſſet, huic moriens Arteſiam tradidit. Ea cùm in Burgundia apud maritum ageret, cœpta eſt per Præfectos Arteſia gubernari. Othonis iſtius & Ioannæ ex Philippo filio nepos Philippus anno M. CCC. XXXXVII. auitâ ſucceſſione Arteſiæ fit Co-
mes,

mes, ſed anno ætatis ſuæ decimo quinto moritur. Vnde Margareta Philippi Longi Galliarum Regis, & Ioannæ quondam Arteſiæ Comitis filia; Ludouici Niuernenſis Flandriæ Comitis ad Creſſiacum cæſi vidua Arteſiæ Comitatum obtinuit. Eius filius ex Ludouico Niuernenſi fuit Ludouicus Maleanus Flandriæ Comes, qui ab obitu matris Arteſiam poſſedit, & Flandriæ, à qua per annos ferè ducentos auulſa fuerat, iterùm coniunxit, ita tamen vt non vna Prouincia eſſent, ſed duæ, & in vtraque ſeorſim Ius diceretur. Vxor illi fuit Margareta Ioannis Tertij Brabantiæ Ducis filia, ex qua filiam vnicam Margaretam ſuſcepit, quæ ad Philippi Audacis Burgundiæ Principis nuptias tranſiens mortuo patre Ludouico maritum Arteſiæ Comitem fecit. Ex hoc coniugio filius extitit Ioannes Burgundiæ Dux & Flandriæ Arteſiæque Comes, quem in ijſdem Prouincijs ſecutus eſt Philippus Burgundus, cognomento Bonus, eius filius, Philippo patri ſucceſſit Carolus Audax, Carolo Maria vnica filia Maximiliano Auſtriaco nupta; deinde Philippus Auſtriacus, Carolus Quintus, Philippus II. Albertus & Iſabella, Philippus Quartus Arteſiæ hodie

Digitized by Google

hodie Comes, & Hiſpaniarum Rex. Ex his Comitum Arteſiæ ſeries, & ſuccedentium parentibus liberorum legitimus ordo conſtat, qui nullum Franciæ Regibus in Arteſiam Ius eſſe manifeſtè declarat. Quod prætendere illi poſſunt, Clientale Ius eſt, illudque ad Carolum Quintum vſque Comites omnes agnouerunt, & quod debebant, Gallorum Regibus Sacramentum dixerunt, donec ei Iuri non ſemel Franciſcus Primus, vt mox apparebit, renunciauit. Quod de Carolo Arteſiano Franciæ Pari Galli referunt, nihil ad rem hanc attinet, neque enim Arteſiæ Comes fuit.

Porrò in alias Belgij Prouincias nullum Francis Ius eſſe, ex ijs, quæ Capite quinto diximus, abundè conſtat. Illas hæreditario Iure Burgundi, & poſt illos Auſtriaci Principes occupârunt. Fruſtrà Galli eas ſibi aſſerere contendunt, in quibus aliquando fuerunt, aut quas bello inuaſerunt, quaſi id omne Francici ſit Iuris, quod arma Francorum attigerunt.

### *De Comitatu Rhuſcinonenſi ſeu Rhuſsillionis.*

COmitatum Rhuſcinonenſem Galliæ Narbonenſis partem olim fuiſſe Franci contendunt; *Prætenſum Ius Franciæ*



Digitized by Google

*Regum in Comitatum Rhuſcinonenſem.*

tendunt; item ad Familiam Andegauenſem ſpectauiſſe. Fatentur tamen à Ioanne Aragoniæ Rege pro trecentis aureorum millibus Ludouico XI. pignori datum, & à Carolo VIII. tandem Ferdinando Aragoniæ & Caſtellæ Regi certis legibus reſtitutum. Verùm deceptum quorundam conſilijs Carolum fuiſſe, & vt ita ſit, Ferdinandum datis legibus non ſatisfeciſſe, hoc eſt, Galliæ Regem, quemadmodum promiſerat, non iuuiſſe. Ideò Caroli ſucceſſores Franciſcum Primum, & Henricum Quartum multa pro Comitatu illo recuperando tentâſſe, etſi conatui ſucceſſus defuerit.

*Reſponſio de Iure Hiſpaniæ Regum.*

At verò Rhuſcinonem ad Hiſpaniam ſpectare, & Cataloniæ iam pridem adiunctum fuiſſe conſtans Hiſtoricorum opinio eſt, cui fidem longa Aragonum poſſeſſio facit. Hunc cùm Ioannes Aragoniæ Rex Ludouico Vndecimo pignori dedit, Iuri ſuo non ceſſit, ſed poſſeſſionem ad tempus tranſtulit. Neque, niſi libertimè, Carolus Octauus Ditionem illam Ferdinando Catholico reſtituit, vt nimirum cùm aliò conuertere arma ſua vellet, hoſtem illum ab vltima Regni ſui parte non haberet. Fecit Ferdinandus quod debebat, Franciæ nullam

Digitized by Google

nullam vim intulit, nec eius hoſtibus fauit. Conatibus Franciſci Primi & Henrici Quarti fortuna non arriſit: id verò diuinæ iuſtitiæ tribuendum, quæ iniuſtis armis ſucceſſum felicem ſæpius negat.

## *De Caſtella & Aragonia.*

SI Francis credimus, eorum eſt orbis vniuerſus, adeòque etiam in Caſtellæ Regnum Ius ſibi eſſe volunt. Carolus Magnus non exiguam Hiſpaniæ partem depulſis Saracenis aliquando occupauit. Blanca Regina Diui Ludouici mater mortuo Henrico Caſtellæ Rege fratre ſuo, cùm nulli ex eo ſupereſſent liberi mares, Iure in Hiſpania recepto, Regnum hæres adijt, & ad filium Ludouicum tranſmiſit, qui etſi Caſtellam nunquam occuparit, aut poſſederit, Ius tamen in eam retinuit, quod hodie Franciæ Regum eſt. *Prætenſum Ius Francorum in Caſtellam*

Demus hoc Francis quod volunt, ſuo ipſi ſe gladio iugulant. Nam, vt aiunt, cùm Diuus Ludouicus Rex Blancam filiam ſuam Ferdinando de la Cerda Alphonſi Caſtellæ Regis filio collocaret, Ius ſuum in illum & in poſteros eius tranſtulit ceſſitque. Deinde, vt eorum Scriptores re-

*Reſponſio de Iure Hiſpaniæ Regum.*

ferunt, Philippus Franciæ Rex Baionæ cum Sanctio Caſtellæ Rege de varijs vtriuſque Regni negotijs agens, eidem quicquid Iuris in Caſtellam vendicare poſſet, vltrò reſignauit. Fieri tamen eiuſmodi reſignationem non potuiſſe, quod Regno Ius iſtud acquiſitum eſſet, Franci ſuo more contendunt, ſed fruſtrà. Neque ipſi Galliæ Reges, qui poſt Diuum Ludouicum regnârunt, Ius eiuſmodi aſſerere ſibi hactenus tentârunt. Sciunt ex Hiſtoriarum fide Henrico Alphonſi Noni filio & Blancæ Reginæ fratri Ferdinandum Secundum eius ex Berengaria ſorore nepotem ſucceſſiſſe, quod ſanguine proximus eſſet, & ſexu potior. Ei deinde Regi verè magno Alphonſus Decimus filius, ac deinceps alij vſque ad Philippum Quartum Auſtriacum hodie Regem. Ridiculum eſt, quod quidam nuper ſcripſit, vnitam Franciæ Caſtellam ſub Diuo Ludouico Rege fuiſſe, nec ab ea diſiungi vnquam potuiſſe. Facilius eſt vnire verbis, quàm armis aut Iure poſſidere.

*Prætenſum Ius Francorum in Aragoniam*

Idem eſt in Aragoniam & Cataloniam Ius Francorum, inde à temporibus Caroli Magni repetitum. Is, inquiunt, ex illis Hiſpaniæ Prouincijs Saracenos fugauit, vtramque Franciæ coniunxit,

Digitized by Google

iunxit,& earum hæredes poſteros ſuos reliquit.

Reſpondent Hiſpani quod poſtquam Carthaginenſibus & Romanis parere Hiſpania deſijt, à Gothis ſit occupata, quorum è ſanguine Reges accepit, donec Roderici vitio & Iuliani Comitis ſcelere tota ferè in Maurorum poteſtâtem venit. Extiterunt tunc duo è Chriſtianis viri omni laude digniſſimi, Garſias Ximenius, & Aſnar. Ximenius in montibus Pyrenæis à Chriſtianis, qui eò confugerant, Dux electus, Mauros aggreſſus ingentem ijs cladem attulit & magnam Nauarræ partem recuperauit, ibique regnauit, vt ſuprà de Nauarra retulimus. Aſnar ſub idem tempus fluuium Aragonium traijciens non cum multis, ſed audacibus & ſtrenuis viris, plurima Aragoniæ loca armis expugnauit, & Aragoniæ Comes eſt appellatus. Ximenio filius ſucceſſit Garſias Ennicus; Aſnar Galindum filium ſucceſſorem reliquit. Garſiæ Ennico filius fuit Fortunius Garſias Dux Nauarræ, qui Galindi Comitis Aragoniæ filiam vxorem accipiens, Aragoniæ ſimul factus eſt Comes. Ex ea Sanctium Garſiam genuit, qui reliquos è Nauarra Mauros expulit, ſed inſidijs poſtea Saracenorum circumuentus, dum

*Reſponſio de Iure Hiſpaniæ Regum.*



Digitized by Google

victoriam, quam prælio commiſſo ſibi pepererat, ardenter proſequitur, pulcherrimâ morte nullis relictis liberis occubuit. Eo ſublato Mauri rurſus Aragoniam & Nauarram inuaſerunt, quo tempore vtriuſque Prouinciæ populi ad Gallorum auxilium reſpexerunt. Venit ergò Carolus Magnus valido inſtructus exercitu, in quo duodecim illi Duces, quos Pares appellant, monteſque Pyrenæos tranſgreſſus aſperrimum cum Mauris bellum ſumma felicitate geſſit, ijſque tota ferè Aragoniâ Nauarrâque pulſis, gloriâ contentus in Galliam redijt. Poſt huius diſceſſum Nauarræi Ennicum Gothicæ ſtirpis virum ex Bigorræ Comitatu ſibi Ducem elegerunt, quem nonnulli primum Nauarræ & Aragoniæ Regem fuiſſe ſcribunt, & vtrumque Regnum poſteris ſuis reliquiſſe, donec Sanctius Maior Garſiæ filio Nauarram, Ramiro itidem filio Aragoniam attribuit. Ab his Regum in vtraque Prouincia ſeries ducitur vſque ad Philippum Quartum Auſtriacum hodie Aragoniæ, Nauarræ, & totius Hiſpaniæ Regem. Neque ſanè Carolus Magnus propterea, quod Aragonibus ſuppetias tuliſſet, & magnam patriæ eorum partem à Mauris liberaſſet,

ſet, Regnum ſibi vendicauit. Multum ille quidem contra Mauros iſtos præſtiterat, ſed magnam adhuc belli materiam & laudis ſegetem alijs reliquerat. Vnde Ennicus, qui Ariſta dictus, ſæpius cum ijs conflixit, & glorioſiſſimas victorias reportauit. Nec minorem conſecutus eſt laudem Garſias Ennicus Ariſtæ filius, armis ſtrenuiſſimus, qui non priùs infeſtare Mauros deſijt, quàm ſuo ſanguine eorum arma cruentauit. Patrem ſecutus pari gloriâ Sanctius, qui ex matris cum marito in acie occiſæ vtero exciſus ab Equite quodam in ſpem patriæ & Maurorum exitium creuit. Fuit huic filius Garſias Sanctius, & ex eo nepos Sanctius Maior totius ferè Hiſpaniæ Imperator nuncupatus; quorum res contra Mauros geſtæ non minorem, quàm Caroli Magni, apud poſteros gloriam meruerunt.

De Luſitania ſeu Portugallia fusè ſatis iam ante dictum eſt, nec in hoc breuis Apologiæ inſtituto propoſitum nobis eſt copiosè de vniuſcuiuſque Iure diſſerere. Quo verò Iure Philippus II. Auſtriacus Luſitaniam obtinuerit, & poſteris ſuis reliquerit ſexto capite demonſtratum eſt, ex quo nihil Fran-
corum

corum Regibus in eam Iuris eſſe plus ſatis conſtat.

## CAPVT X.

*Leges Pacis ſæpiùs inter Hiſpanos & Francos initæ, ex quibus conſtat Francos ſuo in quaſdam Auſtriacorum Prouincias Iuri ceßiſſe.*

PRætenſo Francorum in quaſdam Auſtriacorum Prouincias Iuri ſatisfeciſſe hactenus ex Hiſtoriarum fide videri poſſumus; quia tamen illos ſuo iſti Iuri ceſſiſſe ac palam renuntiauiſſe non ſemel diximus, id nunc non fictis rationibus, ſed adductis initarum concordiarum legibus eſt comprobandum. Atque inprimis cùm Franciſcus Primus Galliarum Rex Ticinenſi prælio captus in Hiſpaniam ad Carolum Quintum Imperatorem adductus, & aliquamdiu ibidem aſſeruatus fuiſſet, vt libertati priſtinæ reſtitueretur, inita certis legibus pax eſt Madriti XII. Ianuarij, ineunte anno M. D. XXVI. Inter eas hæ erant, quæ ad hoc propoſitum noſtrum ita faciunt, vt Regem illi omni Iuri ceſſiſſe declarent, quod eius poſteri

ſibi

ſibi vendicant, aut veriùs Galli Scriptores ia-ctitant.

*Rex omni actione ac Iure in ſempiternum cedito, quod in aliquod Regnum, Prouinciam, Ditionem à Cæſare hoc tempore poſſeſſam, nominatim verò in Regnum Neapolitanum, Siciliæ, Mediolanenſe, Vrbem Ditionemque Genuenſem ac Aſtenſem allegare poteſt; renuntians fœderi Noiuodunenſi, ac quod inter Ferdinandum Catholicum Cæſaris auum maternum ac Ludouicum Duodecimum Francorum Regem hiſce de Regnis fuit ictum; reſtituetq; Rex Cæſari ſpatio ſex ſeptimanarum tabulas ac Diplomata omnia ad dictorum Regnorum, Ditionumq; Ius ſpectantia concernentiáque, ſiue ea Pontificÿ, ſiue Imperÿ Iuris fuerint.* Leges aliquæ pacis Madritanæ. Prima.

*Quicquid Iuris Rex aliquâ ratione prætendere poteſt in Ciuitatem oppidumq; Atrebatenſe, Tornacenſe, Mortangam, Fanum Amandi, Inſulas, Duacum, Orchiacum, Heſdinum, in ſempiternum Cæſari, eiuſque vtriuſque ſexus ſucceſſoribus ſine aliqua exceptione cedito. Quemadmodum & ſupremæ Iuriſdictioni & Imperio, quod hactenus in* Secunda.

*Comitatum Flandriæ & Arteſiæ, aliáſque Ditiones Cæſari ſubditas, quæque in poſterum ſubijcientur, Franciæ Reges habuêre, qua de re Rex Cæſari tabulas dato.*

Tertia. *Rex curam operamq; adhibeto, vt Henricus Albretus titulo Regis Nauarræ pro ſe ſucceſſoribuſq; ſuis in perpetuum cedat. Quod ſi impetrare non potuerit, ei nec ſucceſſoribus vnquam auxilium hac de cauſa ferto.*

Quarta. *Ducatum Burgundiæ, quæque inde dependent, cum Comitatu Charoloi, Noerij, Chaſteau-Chinoi, Vicecomitatu Auxomæ, ac Fani Diui Laurentij Iuris Comitatus Burgundici, quæque ab omni antiquitate Iuris Burgundici fuêre, ſextâ à die liberationis Regiæ ſeptimanâ Cæſari reſtituito, nullâ in ijs Regi, Regno, nec ſucceſſoribus Iuris petitorij, nec poſſeſſorij, (vt hodie loquuntur Iuriſconſulti) actione ſeruatâ; ſed in perpetuum hac deſerens, ea Cæſari, vtriuſq; ſexus eius liberis, eorumq; ſucceſſoribus cum omni prærogatiua Iuris patronalis reddito, reſtituito, ac in æternum relinquito, cedẽs in perpetuum omni Ducatus Burgundiæ eóque pertinentium Ditionum poſſeſſione, ſiue ea occupatione, aut acquiſitione*

*ſitione cæteris Franciæ Prouincijs Salicæ Legis authoritate, aut quâcunque aliâ ratione ſunt coniunctæ; ijs omnibus eâdem poteſtate ac authoritate hanc Iuris naturam derogans auferenſq; quâ id acquiſierant; inſuperq́; ſe & ſucceſſores omnes ſpolians poteſtate authoritateq́; quâ id Ius eandemq; actionem veri, veriſimilis, ficti, aſſumptiq; Iuris velamine reſumere poſſent, nullis in contrarium Iuris clauſulis hîc non expreßis, quæ ad hanc rem ſibi ſuiſq; vſui aliquando eſſe poſſent, obſtantibus, aut obſtaculum aliquâ ratione exhibere præbereq́; valentibus. Rex extemplo Ducatus Burgundiæ cæterarumq́; dictarum Ditionum incolas à dicto ſibi Regnoq; Franciæ Sacramento promiſſáque obedientiâ plenè abſoluito.* Ita refert Pontus Heuterus & alij. Hæ leges aliæque per Cæſarem & Regem ſignatæ ſunt & Iureiurando confirmatæ, dati inſuper obſides Regij filij Delphinus & Dux Aurelianenſis.

Reuerſus autem in Franciam Rex promiſſorum ſuorum, datæ fidei & iuramenti non immemor, ſed eorum Religionem parui pendens, Cæſari ſignificat legibus Madritanæ Concordiæ ſatisfacere ſe non poſſe, atque idcircò

*Rex Franciæ ſatisfacere legibus pacis recuſat.*

quod ſuâ in poteſtate non eſſet, aliquod Regni Francici membrum, à toto corpore ſeparare, niſi omnium Regni Ordinum conſenſus accedat. Hunc quidem procurare Iureiurando ſe teneri, ſed omninò non poſſe. Vellet Cæſar promiſſam Ducatus Burgundiæ traditionem pecuniâ aliquâ commutare. Maior erat pro recipiendis obſidibus filijs cura, pro quibus aliquam pecuniæ vim, quam Angliæ Rex dixiſſet, offerebat. Vt verò ad hanc voluntatem ſuam Cæſarem adduceret, vel potiùs, vt putabat, cogeret, fœdus cum Pontifice Clemente, Venetis, & Franciſco Sfortia init, ac paulò pòſt etiam cum Solymanno Turcarum Imperatore. Ita vndique grauiſſimi in Cæſarem hoſtes concitabantur, & nouis bellis tota Italia inuoluebatur. Vicit tamen fortuna & cauſa Cæſaris, ac tandem annitentibus Pontifice Angloque de noua inter Cæſarem & Franciſcum pace feriò actum eſt. Placuit eam Cameraci in Belgio tentari, quò Cæſaris nomine eius amita Margareta cum Belgico Senatu venit; eòdem appulit Ludouica Franciſci Regis mater cum Francico item Senatu; ipſe Rex haud inde procul Compengæ agebat. Et quia

in hac

in hac pace poſita ſalus Europæ videbatur, Pontifex Clemens Capuanum Archipræſulem Cameracum miſit, Angliæ Rex Londinenſem Antiſtitem & Suffolciæ Ducem; aderant & omnium Confœderatorum ſociorumque Legati. Poſtquam diu magnâ vtrimque contentione actum, tandem de pace conuenit, quæ Nonis Auguſti anno M. D. XXIX. in ſummo Cameraci templo publicata eſt. Eius inter alias hæ leges fuêre. *Pax Cameracenſis.*

*Pax Madritana paucis mutatis rata firmaq; eſto. Contentus eſt Cæſar actione Ureque, quod ſibi tempore fœderis Madritani ac antea in Ducatum Burgundiæ, Comitatum Auxerroij, Maſonij, Barræ ad Sequanam, ac in Fanum Diui Laurentij competebat, ita vt ipſe, aut eius ſucceſſores viâ iuridicâ, aut Arbitrorum ſententiâ Ius ſuum, quando placuerit, nullâ obſtante longi temporis præſcriptione experiri poßint, Regique Franciſco eiuſque ſucceſſoribus actionem quoque ſuam defendere liceat.* *Prima.*

*Rex Ditionem Heſdinam cum oppido, Arce, ac tormentis Comitatui Atrebatenſi reſtituito. Rex iterum omni Priuilegio ac præro-* *Secunda.*

 gatiua,

*gatiuæ, quam in Flandriam, Arteſiam, Ciuitatem Tornacenſem, Fanum Amandi ac Mortangam habet, aut allegare poteſt, ſiue ea ſacri, ſiue profani Iuris ſint, aliarumq́ omnium Ditionum, quas hâc pace Cæſari reſtituit, liberâ voluntate cedito, eáſque à prouocatione ad Curiam Pariſienſem in perpetuum liberato. Iterùm cedens emptioni ac obligationi, quam prætendebat in Duacum, Inſulas, ac Orchiacum, liberans in perpetuum Cæſarem, eius ſucceſſores, incolas nobiles & ignobiles, Patronos, Clientes, Ciuitates, Oppida, Arces, Munitiones, Magiſtratus, Caſtellanos, ac cuiuſcunque generis & conditionis ſubditos, quam ſibi ac ſucceſſoribus Regibus debebant, obedientiâ, ſubiectione, Sacramento, fide, Iuriſdictione, prouocatione, non obſtantibus fœderum, induciarum, nec pacis antehac initæ conditionibus, præcipuè, quæ anno M. CCCC. LXXXXVIII. poſtridiè Calendas Auguſti Pariſijs fuêre ſancitæ, quibus omnibus Rex eiusque mater abſolutè cedunt ac renuntiant. Quemadmodum & prærogatiuæ, quâ Regibus Francorum Flandri & Atreba-*

*Atrebates obſtringebantur; tum etiam omnibus cuiuſcunque nominis titulis & exactionibus Regi debitis, quas mercatores è Francia aliquid in Arteſiam vehentes ſoluere erant ſoliti, vt & tributi genere, quod,* Antiqua compoſitio, *dicitur; in æternum ſeparando ac à Regno Francico eiúſque Imperio Comitatum Flandriæ, & Arteſiæ, quæque inde dependent, exceptâ Ciuitate Terouanâ, quæque alia extra Arteſiam & Flandriam Francici Iuris ſemper fuêre, vt Comitatus Boloniæ, &c.*

*Rex Cæſari eiúſque ſucceſſoribus poſt ſextam ab hac tranſactione ſeptimanam ac ante filiorum liberationem Aſtæ Comitatum, omniáque, quæ adhuc in Ditione Mediolanenſi poſſidet, reſtituito. Eodem etiam temporis ſpatio Rex Cæſari Barlettam, & quicquid adhuc in Regno Neapolitano obtinet, reddito, curatóque vt idem faciant Veneti, omnéſque Confœderati.* Tertia.

Hæ leges aliæque, quas hîc referre non eſt opus, ab omnibus probatæ, ſignatæ, Cæſareo Regioque ſigillo munitæ, & ante Idus Septembris in Francia Belgioque publicatæ ſummâ vtriuſ-

vtriuſque populi lætitiâ, excitatis ad eam teſtandam nocturnis ignibus fuère, Regij filij ex Hiſpania in Franciam poſtea ſunt remiſſi.

*Francus pacem violat.* Hanc pacem non diu ratam Galliarum Rex Franciſcus habuit. Mortuo enim Franciſco Sfortiâ Mediolanenſium Duce Ducatum illum à Cæſare per Legatos petit, quem cùm non obtineret, copias vndique ingentes ruptâ pace cogit, bellum parat, & primo impetu Sabaudum Ditione pellit. Cæſar Romam profectus, dato à Pontifice Senatu, quàm inuitus bellum à Franco prouocatus reſumat, inſigni oratione docet, inde in Galliam arma mouet. Octo annis variâ fortunâ certatum in Italia, *Pax Greſpienſis.* Sabaudia, Belgio, Francia; tandem cum ipſa Franciæ viſcera adeóque Pariſij metu impendentis exitij percellerentur, iterùm agi de pace cœptum eſt. Conuenerunt Creſpij Cæſaris nomine viri præſtantiſſimi Ferdinandus Gonzaga, Nicolaus Perenottus Granuellij Toparcha, Commendator Calameæ Ordinis Alcantaræ; adfuerunt pro Galliæ Rege Franciſco Claudius Annibaldus, Carolus Nullius, & Baiardus. Hi anno M. D. XLIV. die Septembris XVIII. certis legibus inter Cæſarem

Regem-

Digitized by Google

Regemque Franciſcum firmam æternamque pacem publicârunt. Hæ inter alias leges ſunt. *Leges aliquæ.*

*Rex Comitatum Charôloy Cæſari eiuſque ſucceſſoribus in perpetuum poſsidendum cedito.* *Prima.*

*Rex factam Madritanâ pace, ſequentibusq́; fœderibus Regni Neapolitani, Siciliæ, Ducatus Mediolanenſis, Comitatus Aſtenſis, Iuris patronalis, quod habuit in Flandriam, Arteſiam, Inſulas, Duacum, Orchiacum, Tornacum, Mortangam, ac Fanum Diui Amandi ceſsionem, ratam firmamq́ue eâ ratione, quâ ſuperioribus fœderibus eſt conuentum, habeto.* *Secunda.*

*Quicquid Rex in Ducatum Geldriæ ac Comitatum Zutphaniæ Iuris prætendere poteſt, Cæſari eiuſq́; ſucceſſoribus in perpetuum cedito.* *Tertia.*

Ratas has Leges Cæſar & Rex Franciſcus habuêre, Iuſiurandum vtrimque præſtitum, pax magno omnium gaudio inter feſtiuos ignes publicata. Obijt autem Rex triennio poſt, anno nimirum M. D. XLVII, cui cùm ſucceſſiſſet Henricus Secundus è tribus Franciſci

filijs ſolus ſuperſtes, anno M. D. LI. arma in Cæſarem & filium eius Philippum reſumpſit. Durauit hoc bellum annis octo, ac tunc anno M. D. LIX. poſt Cæſaris Caroli mortem, quæ anno ſuperiore contigerat, iterùm pax inter Philippum Secundum Hiſpaniarum, & Henricum Secundum Franciæ Reges eſt ſecuta. Publicata fuit Cambreſij Nonis Aprilis, & per eam quicquid inter Cæſarem & Franciſcum Primum variorum fœderum Legibus conſtitutum fuerat, ratum habitum eſt, & nouo Iureiurando vtrimque confirmatum.

*Francus bellum reſumit.*

*Pax Cambreſiana.*

## CAPVT XI.

*Francorum rationes, quibus fœdera inter ſuos & Hiſpaniæ Reges inita irrita eſſe contendunt, & ad illas reſponſio.*

FAtentur Franci ea fœdera, quæ iam retulimus, cum Regibus ſuis percuſſa; vllum autem in ijs pondus eſſe, negant. Fatentur ea Regum nominibus ſignata, ſigillis munita, Iureiurando confirmata; quicquam autem Regno per ea detrahi potuiſſe, inficias eunt. Fatentur ea in publica Regni lætitia iubentibus



Digitized by Google

bentibus Regibus publicata, recepta, diu ſeruata; ijs autem Regni Ordines conſenſiſſe, conſtanter pernegant. Quis non miretur? Sed rationibus ſuam opinionem tuentur.

Inprimis Franciſcus Primus, aiunt, cùm captiuus in Hiſpaniam abductus eſſet, ibidemque cuſtodiretur, liber non erat, nec ſui Iuris; adeóque quicquid ab eo tum factum Madriti, non ab eius libera voluntate profectum, ſed extortum eſt. Et cùm contractus à libero conſenſu vim accipiant, hic nullus eſſe potuit, aut certè liber non fuit. Conſentire enim cogebatur, non volebat. Quod ſi tamen libertati reſtitutus iterùm Cameraci conſenſit, neque tum libera eius voluntas fuit, quam amor recipiendorum filiorum, quos obſides in Hiſpania reliquerat, impellebat. Leges omnibus ijs ſubſidium præbere, qui dolo decepti, vel vi aliquâ coacti fuêre; multò verò magis Regibus, cùm metu aliquo impelluntur, vt de Iure Maieſtatis ſuæ, aut de Regno aliquid detrahant. Poſſe proinde eos armis repetere, quicquid illis violentià eſt ademptum. Et quidem ſupremæ Regum in Francia Maieſtatis eam poteſtatem eſſe, vt ſeipſos in integrum, vt loquuntur, ſeu *1. Ratio*

Iuri ſuo reſtituant, ſi vllum contra Regni ſui leges fœdus inierint, etſi Iuramento firmârint, cùm à ſeipſis in terra quodammodo ſint, non ab alio, niſi à ſolo Deo, dependeant. Principes alios orbis huius, Theologos, & Iuriſconſultos Concordiam Madritanam nullius eſſe roboris iudicaſſe.

II. *Ratio.* Accedit Franciſcum Regem, etſi voluiſſet, non potuiſſe ſuo in Prouincias, quas Auſtriaci ſibi aſſerunt, Iuri cedere renuntiaréque. Quod eæ Prouinciæ lege Salicâ Regno ſint coniunctæ, & illius quædam membra factæ, nec vnquam ab eo poſſint ſeparari, inque alium transferri. Eſſe quidem ſupremam Regum in Francia Maieſtatem, & abſolutam verè poteſtatem, ſed quam tamen Salica lex coërceat, & cui velut frænum inijciat, quâ ſtante incolumique, nihil de Regni integritate diminuere poſſunt, cuius tantùm ſunt, vt aiunt, vſufructuarij. Idcircò qui ijs ſuccedunt, eorum contractus, ſi contra Regni leges ſint, ſuâ authoritate reſcindunt, & quod ab ijs in alios tranſlatum eſt, armis repetunt. Maieſtatem & Regnum quodam inter ſe nexu, qui ſolui nunquam poſſit, contineri coniungique. Regum eſſe regere,

non

Digitized by Google

non diſſipare aut perdere, atque in ipſa admini-ſtratione Maieſtatem reſidere apparereque.

Præterea Reges in ſua inauguratione, cùm Regni diadema ſuſcipiunt, ſolemniter iurare Iura ſe Regni illibata, & integram eius dignitatem ſeruaturos. Franciſcum igitur Regem, cùm hoc Iuramento à ſe præſtito obligaretur, nihil, quod contra Regni Iura eſſet, promittere potuiſſe; aut ſi promiſerit, promiſſis non teneri, nec vllius Iuriſiurandi in Regni damnum præſtiti Religione obligari. Imò eâ Religione ſolutum illum fuiſſe, cùm filios Imperator obſides petijt; quod in locum obligationis obſides venerint, & remiſſa obligatio videatur. Futurum fuiſſe Regem ſine obſidibus ſolâ ſuâ promiſſione obligatum, ſed Cæſarem diffidentiâ laborauiſſe. *III. Ratio.*

Demùm Regni Ordinum conſenſum defuiſſe, ſine quo non potuerit Rex à Sacramento ſibi dicto, debitáque obedientiâ ſubditos ſuos liberare. Negotium Regni negotium eſſe vniuerſitatis, & ideò non poſſe Regem de Regno diſponere ſine conſenſu maioris partis nobilium Regni, vt ait Zarabel la. Atque hæc potiſſimùm ſunt argumenta, quibus inducuntur *IV. Ratio.*

Franci, vt tot iuratis Regum ſuorum fœderibus fidem & authoritatem detrahant.

Reſponſio pro Auſtriacis. Nunc vt pro Auſtriacis reſpondeamus, optandum eſſet, vt datæ fidei & Iuriſiurandi Religionem Franci non tam parui penderent. Quid enim aliud eſt, contendere Regem quod Iuramento ter repetito confirmârat, præſtare non debuiſſe, quàm perfidiæ & periurij notam Regio nomini inurere? *Quæ dicis aut recipis te facturum, tanquam rem ſacram obſerua,* inquit Iſocrates ad Nicoclem, quem monebat, perpetuò tantum ſtudium ac reuerentiam præ ſe ferret, vt eius verbis maior fides haberetur quàm aliorum Iuramentis. *Fraus enim,* teſte Thucydide, *cùm omnibus fœda ſit, tum ijs, qui maiori dignitate præditi ſunt; imò fœdior, quàm aperta violentia.* Et verò quis percutere cum Francis fœdus, quis inire cum ijs contractum deinceps volet, ſi tam fluxa apud eos fides, & nulla Iuriſiurandi Religio eſt? ſi ſeipſos ſuo Iuramento Reges, vt aiunt, abſoluant, & Iuri ſuo ſeſe ſupremâ Maieſtatis poteſtate reſtituant? Ipſemet Franciſcus Rex Cæſari obtulit, Neapolitani & Mediolanenſis Imperij Iuribus cedere, Cæſaris ſororem vxorem accipere,

accipere, & Burgundiam pro ea dotis nomine poſſidere. Ludouica quoque Regis mater miſſo ad Cæſarem Hugone Moncandâ, filium Neapolitano Regno Ducatuique Mediolanenſi ceſſurum, &, vt ad quem Burgundia ſpectaret, Iure cognoſceretur, aſſenſurum promiſit. Vtrumque Franciſcus Guicciardinus libro XVI. Hiſtoriæ Italicæ teſtatur. Adeò de Ditionum iſtarum, aut Iuris alicuius in eas dimiſſione non ſola victoris lex fuit, ſed victi etiam & captiui oblatio, eaque libera & voluntaria. Sed propiùs rationes ipſas diſcutiamus.

*Liber Rex non fuit*, aiunt, *nec ſui Iuris*. Ita eſt, captiuum fortuna & Cæſaris victoria fecerat. Erat in cuſtodia corpus eius, ſed libera planè volũtas, quæ humanâ vi cogi omninò non poteſt. Libertatis enim humanæ hoc priuilegium eſt, vt dicere vnuſquiſque poſſit, volo, nolo. Et quanquam, vt Moralium Philoſophorum conſtans eſt opinio, metu aliquo voluntatis libertas impediatur, tamen cum propoſitis duobus malis minus damnum voluntas eligit, in eiuſmodi promiſſione liberrima eſt. Poterat Rex aut in cuſtodia apud victorem remanere, aut victoris legem accipere; iſtud *Ad I. Rationem*

maius

maius malum exiſtimauit, hoc elegit. Actiones, inquit Ariſtoteles, voluntariæ ſunt, in quibus eſt electio. Accepit Rex victoris legem; quæ proponebantur, licita erant & fieri poterant, vt mox infrà patebit; iurauit, Deumque dictorum ac promiſſorum ſuorum teſtem inuocauit; facere igitur debuit, aut pœnæ, quæ periuros comitatur, obnoxium ſe reddidit, & ignominiâ Deum affecit. Quid, quod poſtquam libertati reſtitutus fuit, idem Cameraci, quod prius Madriti, promiſit, iurauitque? Nihil enim tum immutatum, niſi de Burgundia, fuit. Quid, quod Creſpij fœdus vtrumque Madritanum & Cameracenſe Rex idem ſolemni Iureiurando confirmauit? Liber ſanè tum fuit, qui ſummâ voluntatis libertate, certoque conſilio bis nouum Cæſari bellum poſt ſuam captiuitatem excitarât. Quid, quod Cambreſianâ pace Henricus Secundus Rex, fœdera omnia à Franciſco Primo parente ſuo percuſſa Iureiurando approbauit? Quanquam vt captiuus libertatem conſequatur, non vt conſentiat, ſed vt victori pareat, neceſſe eſt. Ita Ius Gentium iubet, & ſic moribus receptum eſt. Non quod quis vult, ſed quod victor imperat,

perat, pretium libertatis exſoluit. Quod ſi Leges dolo deceptis ſubuenire debent, earum auxilium debuit Cæſar expectare, qui non decepit, ſed Rege poſt libertatem promiſſa ſua reſcindente deceptus fuit.

Sequitur nunc illud, quod tantopere iactitant, *Regem Iuri ſuo in eas Prouincias renuntiare non potuiſſe, quæ Lege Salicâ Regno ſunt vnitæ.* Id verò de Sicilia, Neapoli, Mediolano dici nequaquam poteſt, quæ membra Regni Francici nunquam fuerunt, & qui eas Ditiones hactenus poſſederunt, Franciæ Regibus Sacramentum non dixerunt. Potuit igitur ſuo in eas Iuri, ſi quod vnquam habuit, Rex cedere, & illis omninò ſeſe abdicare. De Flandria Arteſiaque ac nonnullis Belgij Ciuitatibus ſupereſſe dubium poſſet. Sed hîc etiam nullum omninò eſt. Nam certis occaſionibus aliquid de Regnô Regiſque Dominio detrahi alienariq́ue poſſe cùm plures alij, tum ampliſſimus vir Carolus le Bret, Regius in Francia Conſiliarius libro tertio de ſupremo Iure, ſeu, vt vulgò dicunt, Superioritate Regis, capite 1. atteſtatur. Ac prima quidem occaſio eſt, cùm ob ſingularem aliquem Diuinæ Maieſtatis fauo- *Ad II. Rationem.*

 rem,

rem, aut victoriam de hoſtibus reportatam, nouum templum eius honori dicandum, annuiſque vectigalibus dotandum eſt. Tunc enim, inquit, non tam Regia bona alienantur, quàm Regi Regum, à quo ſceptra omnia dependent, conſignantur, & quodammodo reſtituuntur. Altera eſt, cùm Regijs liberis prouidendum de annuis cenſibus eſt. Quippe æquiſſimum videtur, vt ij, quos Regia Domus in lucem edidit, ab ea accipiant, vnde ſuam inter homines dignitatem tueantur, & cum ſplendore viuant, ita tamen vt conceſſorum ſibi bonorum ſupremum Dominum Regem agnoſcant, & ea ad illum, ſi liberi deſint mares, reuertantur. Tertia eſt, cùm Rex, qui in hoſtium poteſtatem venit, redimendus eſt, & pro eo victori ſatisfaciendum; aut cùm bello Regnum ita afflictum eſt, vt publicæ neceſſitati ſuccurrere ſingulorum opes non poſſint. Quippe nihil ſanctius Rege eſſe debet, cuius ſacroſanctum eſt in *Regno* caput; nihil potius pretioſiúſve publica ſalute, pro qua res etiam diuino cultui & Religioni dicatæ vendi diſtrahique ſine noxa poſſunt. Quarta denique eſt, cùm eorum meritis præmium aſſignan-



Digitized by Google

dum eſt, qui patriam opeſque ſuas deſeruerunt, vt Franciæ Regibus ſeruirent, & in eorum obſequio vitam ſuam impenderent. Atque idcircò, quod ſine turpi ingratitudinis nota omitti eiuſmodi meritorum compenſatio non poſſit, quemadmodum in ſuprema Pariſienſi Curia declaratum eſt aliquando, cùm de repetendo Dominio de *Concreſſault*, quod Stuardo cuidam Scoto in præmium meritorum Reges conceſſerant, ageretur. Hæ omnes occaſiones in illo Regni Edicto recenſentur, quod anno M. D. LXII. publicatum eſt, vt idem grauiſſimus Author & Senator affirmat, qui librum ſuum nuper priùs anno M. DC. XXXII. publici Iuris fecit. Dubitari nunc igitur non poteſt, quin pro redimendo Franciſco I. Rege, qui in Cæſaris Caroli Quinti poteſtatem venerat, Iura in Flandriam Arteſiamque potuerint eidem Cæſari concedi, & à Regno ſeparari. Et verò ſi multò maiora ſunt Regis in Regnum merita, quàm alterius cuiuſuis, cur non ei hoc præmium concederetur, vt aliquâ Regni parte, imò Iure tantùm aliquo in externas Prouincias ad Regnum ſpectante ex hoſtium manibus liberaretur? Nemo eſt, qui

pro capitis ſalute non libenter alius membri iacturam faciat. Neque omninò ex Francorum honore fuiſſet, ſi Regem in captiuitate mori maluiſſent, quàm aliquo Regni ſui Iure nec tam vtili, quàm honorifico, carere; cùm eorum, vt verè dicam, natio Regum ſuorum amantiſſima ſit, pro quibus nec opes nec vitam profundere vnquam recuſauit.

*Ad III. Rationem*

Sed *Reges cùm Regni Coronam accipiunt, nihil ſe de eo detracturos iurant.* Nimirum, niſi cùm eæ ſunt occaſiones à nobis iam enumeratæ, quibus & ratio & vſus permittit, vt auelli à Regno quippiam poſſit. Neque Franciſci Primi Iuramentum Madriti præſtitum, & aliquoties poſtea repetitum Franciæ damno fuit, cùm per illud, cui Cæſar fidem adhibebat, Regem ſuum ex victoris poteſtate liberatum receperit, qui profectò pluris ſolus æſtimandus erat, quàm iſtud in Flandriam & Arteſiam qualecunque tandem Ius. Non auſim enim arbitrari tam viles in Francia Reges eſſe, vt minoris fiant, quàm Ius aliquod eiuſmodi, aut quàm vna etiam non exigua pars Regni. Fruſtrà verò datis obſidibus ſolutum Iuriſiurandi Religione Regem fuiſſe putant. Erant illi tantùm fidei ab

ipſo

Digitized by Google

ipſo datæ pignus, quam ſi ſeruare iam liber factus aut nolebat, aut non poterat recipere eos, & ipſemet ad cuſtodiam reuerti debebat, ſicut ſe reuerſurum iurârat. Tamdiu enim in Cæſaris poteſtate erat, quamdiu fide illi obligabatur. Imitatus fuiſſet non tantùm laudatiſſimum illum apud Romanos Attilium Regulum, qui ne datam Carthaginenſibus de reditu fidem violaret, cùm Romæ captiuorum permutationem diſſuaſiſſet, in carcerem & ad ſupplicium rediijt; ſed etiam Ioannem Franciæ Regem è Maioribus ſuis vnum, qui dimiſſus ab Edouardo Anglo, vt certam pecuniæ vim compararet, aut, ſi non poſſet, in Angliam reuerteretur, cùm omninò propter exhauſtum bellorum calamitatibus Regnum debitam ex pacto pecuniam conquirere non valeret, victoris poteſtati denuò ſe ſubiecit, & in Anglia non multos poſt annos obijt. Maluit ille fidem, quàm vitam ſeruare. Glorioſius ſanè eſt, quod præſtari non poteſt, negare, quàm promiſſum cùm perfidia reſcindere.

Reſtat illud, *Regni Ordines non conſenſiſſe*. Neque ſanè hoc conſenſu opus erat, cùm, vt ſuprà docuimus, publico Regni Edicto Regi *Ad IV. Rationem.*

ſas eſſet, vt ſe ex victoris poteſtate in libertatem aſſereret, aliquid Regno detrahere. Quanquam an non Ordines conſenſiſſe cenſeri debent, cùm inita toties fœdera aliquamdiu ſaltem ſeruauerunt? cùm pacem Cameracenſem ſupremus Regni Senatus cum Regis matre perfecit? cùm conſtituti à Rege nobiles Regni ipſius nomine Concordiam Creſpij & Cambreſij ſancitam approbârunt? cùm populus Franciæ vniuerſus publicatam inter Cæſarem & Regem pacem admiſit? cùm non obſcuris ſignis, ſed publicis & feſtiuis ignibus lætitiam ſuam eſt teſtatus? Gaudere propter pacem, quid aliud eſt, quàm pacem probare? Neque verò dubium eſſe poteſt, quin earum Prouinciarum, quarum ſupremo Iure tum ſe Rex abdicauit, Ordines conſenſerint, (quod ſatis eſſe debet) vt nullo amplius officio Franciæ Regem agnoſcerent, qui ab eo tempore in ſolis Auſtriacis Principibus ſupremum in ſe Imperium reſidere libenter agnouerunt. Accedit quod non Rex tantùm, ſed Cæſar etiam Iuribus aliquibus ſuis Francorum Regibus ceſſerit, vt videri cenſerique Iurium quædam commutatio poſſit, non in damnum, ſed

Regni

Digitized by Google

Regni vtriuſque vtilitatem. Fuit enim hæc vna Madritani fœderis lex, & in alijs deinceps repetita.

*Cæſar Regi eiuſq́; ſucceſſoribus tradito ac in perpetuum cedito, Ius actionemq́; omnem, quam allegat in eas Ditiones, quas hoc tempore Rex poßidet, (ijs, quæ his legibus continentur, exceptis) vt ſunt, Perona, Mondiderium, Roia, Comitatus Boloniæ, Ghuinæ, Pontiaci, ac Ciuitatum ad vtramque Somonæ ripam ſitarum; denique omnium earum rerum, quas Cæſar Iure Regni Hiſpanici, Familiæ Burgundicæ, fœderis Atrebatenſis, Confluentiæ ad Sequanam, Peronenſis, ac cauſâ aliarum Prouinciarum, Familiarum, ac fœderum allegare ac obtendere poteſt.* Loca, quæ Cæſar Francis ceßit.

Præterea initâ Cameraci pace contentus Cæſar fuit ſolo ſuo in Burgundiæ Ducatum Iure, & eiuſdem poſſeſſione Franco ceſſit, donec Ius illud ſuum coram Arbitris aut Iudicibus experiretur. Idem conſtitutum fuit de Comitatu Auxerroij, Muſonij, Barræ ad Sequanam, & de Fano Diui Laurentij.

Quæ loca omnia iam ante à Carolo Audace Cæſaris Proauo poſſeſſa cum omni Iure ad Cæſarem

Cæſarem pertinerent, & à Franco armis tantùm eſſent occupata, non debent eorum ceſſionem tam parui pendere æſtimareque Galli, vt ſe ſolos aliquid Cæſari conceſſiſſe arbitrentur. De Burgundia nobis erit dicendi poſtea locus. Vtinam quietiora quorundam eſſent ingenia, qui calamos faciliùs mouent, quàm Reges arma, & hæc tamen illis excitare non deſinunt. Vtinam tam alienorum Iurium, quàm ſuorum memores eſſent; maior fortaſſis eſſet populi vtriuſque concordia & amicitia.

## CAPVT XII.

*De Monarchiæ totius Europæ Cupiditate, quæ Auſtriacis affingitur.*

Silentium indicere ſibi iam illi poſſent & deberent, qui Auſtriacæ Gentis Prouinciarum alienarum vſurpationem affingunt. Non creuit illa ad iſtud Imperij ſui faſtigium aliena rapiendo, ſed iuſtiſſimas hæreditates adeundo; non in tantam tot Regnorum & Prouinciarum amplitudinem ſeſe armis aut violentiâ extendit, ſed ſingulari præpotentis Dei fauore, qui in vnam hanc Domum coaleſcere

leſcere potentiſſimas Burgundiæ, Caſtellæ, Aragoniæ Familias fecit. Nemo id ignorat, niſi qui Sereniſſimæ huic Familiæ inuidendo ſcire omninò non vult; aut profectò cùm ignorare non poſſit, fateri tamen non cupit. Enimuerò vt inuidia ſibi ſilentium indicat, vt aliorum honori non detrahat, vt liuidis dentibus partam meritorum magnitudine gloriam non rodat, fieri certè non poteſt. Cùm illi veritas os obturat, cogitatione quodammodo graſſatur, & fingit, & comminiſcitur quod non eſt, ſed quod ſibi, non credendo tamen, perſuadet. Intra fines hæreditariæ magnitudinis ſuæ Auſtriaci Principes regnant & ſeſe continent; vident hoc omnes, intelligunt, ſentiunt: non deſunt nihilominus, qui eos ad totius Europæ Monarchiam aſpirare, nec hodie, ſed iam pridem, putant, dicunt, ſcribunt. In multorum manibus & oculis ſunt libri illi, qui nuper lucem aſpexerunt, quorum Authores dum ambiunt calumniando famam, etiam ſcribendo Auſtriacam extinguere gloriam conantur. In hoc vnum tot ſpecioſorum verborum apparatum congerunt, vt Auſtriacam Gentem monſtrum eſſe horrendum oſtendant; vt eius Prin-

*Opinio aliquorum de Auſtriacis Monarchiam affectantibus.*

cipes Tyrannos eſſe declarent, quorum ambitio ſatiari totius orbis Imperio non poſſit; qui aliena Regna & Principatus aut iam inuaſerint, aut ſpe deuorent; qui Principum ſupremorum ceruicibus turpiſſimum ſeruitutis iugum imponant, vel minentur; qui ſe Monarchas, ſi non terrarum orbis, at ſaltem Europæ totius eſſe velint. Dolere vehementer ſoleo quoties Authorum eiuſmodi libros in manus aſſumo, in quibus glorioſiſſimorum Principum famam video tam audacter, nec minùs falſò, lacerari. Simulant ſe eorum Maieſtatem venerari, vt liberiùs poſtea vituperent; Bonitatem in ijs, Magnanimitatem, & Sapientiam agnoſcere ſe fingunt; imò nobiliſſimas eorum animas & verè Regias appellant; nihil etiam ijs melius, nihil humanius, nihil ad regendum aptius eſſe fatentur, & poſtea Tyrannos, aliorum oppreſſores, Chriſtianæ Reipublicæ portenta eſſe dicunt. Eos, aiunt, in nobiliſſimas Europæ Prouincias tanquam in prædam ſummâ auiditate inuolare, Italiam ſub eorum manu adhuc eſſe ſanguinolentam; Germaniam ita conciſam, vt non poſſit amplius niſi in plagis ſuis vulnerari, omnibus Prouincijs alijs

*Laudant Auſtriacos vt vituperent.*

*Balſacus in Principe ſuo.*

metum

Digitized by Google

metum ab Hiſpano impendère, imò exitium. Eius preces minas eſſe, eius beneuolentiam adulterij amorem, eius promiſſa fatale exitium, eius amplexus oppreſſionem. Adeò nihil curant mentiri, modò pulchrè & ſpeciosè loquantur, & fingere iuuat, modò odium in Hiſpanum excitent, quem omnia aut perdere velle, aut poſſidere dicunt. Indignum eſt Chriſtianiſſimo Regi eiuſmodi pudendæ Eloquentiæ ſimulchra dicari, quaſi non maiores ſint iuſtiſſimi Regis laudes, quàm vt aliorum vituperijs & mendacibus ſomnijs aut fatuorum delirijs creſcere debeant. Sinceriùs, audeo dicere, Ludouicum Decimum-tertium Galliæ Regem Hiſpani laudant & venerantur, quàm eiuſmodi Scriptores, quos non miror aliam Rhetoricam, vt de ſe iactitant, inueniſſe, laudatiſſimis olim Oratoribus incognitam, cùm mentiendo, calumniando, Catholicis Principibus infamiam aſpergendo, & eorum pietatem, iuſtitiam, Religionis Zelum irridendo tantùm ſint facundi. Decebat quidem vt lucem libri tales viderent, ſed in flammis; & profectò laus inde maior Regis extitiſſet, quàm ex eiuſmodi præconijs, quæ affinium eius &

 ſacratiſ-

Digitized by Google

ſacratiſſimorum Principum famam, nomen, gloriam mortalium maledicentiæ exponunt. Nimirum hoc eſt Reginam ſuam amare, vt ipſi fatentur, in eius Familiæ exitium populos omnes & Principes concitare; hoc eſt Reginam laudare, eius fratrem, & auum Reges, eius proauum Imperatorem, eius Maiores omnes & affines Tyrannis & Chriſtiani orbis peſtibus annumerare. Sed ab eiuſmodi libris, calamis, linguis Auſtriacorum gloria non dependet, viget illa ſuis meritis, & inter Catholicorum applauſus aſpernatur maledicorum latratus. Nos, ſicut in alijs, in hoc quoque hominibus iſtis ita ſatisfaciamus, vt Auſtriacos Principes de Europæ Monarchia nunquam cogitaſſe clariſſimis ſignis doceamus.

*Falſam eiuſmodi eſſe opinionem.*

Inter eos huius Familiæ Principes, in quos affectati Europæ Imperij cadere ſuſpicio poſſet, Maximilianus Primus eſt Imperator, qui inclytam Domum Auſtriacam propitio Deo ad illud ſupremum honoris faſtigium, in quo nunc feliciter fulget, euehere cœpit. Multa ille bella geſſit, & fortunam aliquando aduerſam, ſæpiùs proſperam eſt expertus. Certè tum, cùm Venetos ad vltimas anguſtias adduxit, ſternere

*De Maximiliano I. Imperatore.*

ſibi

ſibi ad Italiæ Imperium viam potuit, quo occupato facilè Prouincias alias ad ſibi parendum compuliſſet. Non aliter, quàm Romani, vbi ſemel Italiæ toti iugum impoſuerunt, de reliquo orbe non difficilè triumpharunt. Neque aliud ſibi obſtare Turcarum Imperator arbitratur, quo minus Europam noſtram ſibi totam ſubijciat, quàm quod Italiæ nondum imperet. Quaſi alibi ſedes orbis Imperij eſſe, quàm in Italia, non poſſit, ex eaque in omnes terrarum partes facile ſit & arma & claſſes immittere. Erat id temporis ea miſerrima nobiliſſimæ Venetorum Reipublicæ fortuna, vt præter deſperationem nihil ei ſupereſſe videretur. Teſtis eſt Antonius Iuſtinianus à Venetis ad Maximilianum Cæſarem Legatus, qui oratione, quam refert Franciſcus Guicciardinus Hiſtoriæ Italicæ libro VIII. & quâ nihil eſſe demiſſius potuit, fractum conſternatumque Venetorum animum cum præſenti rerum omnium deſperatione coniunctum expreſſit. Longum eſſet eam orationem hìc referre; id verò Legatus ille contendebat, imitari Maximilianum debere Alexandrum Magnum, Iulium Cæſarem, ac ipſum orbis domitorem populum Romanum,

*Potuit Venetos ſibi ſubijcere.*

*Oratio Antonij Iuſtiniani ad Max. Cæſarem.*


Digitized by Google

qui plures ſibi Prouincias clementiâ, quàm armis, ſubiecêre. Reſtitiſſe quidem Venetorum Remp. multis ſæpè hoſtibus potentiſſimis, adeóque Turcis & Francis, nunc verò Cæſareo nomine & inuictâ copiarum eius virtute attonitam, non ſolùm non vincendi, ſed ne reſiſtendi quidem ſpem vllam habere. Proinde ſe ad Maieſtatis eius clementiam confugere eâ fiduciâ, vt illam non fruſtra rebus perditis implorasse videatur. *Quaſcunque*, inquit, *pacis leges nobis impoſueris, amplectemur, eaſque iuſtas & honeſtas habebimus, digni qui nobis ipſis pœnam conſtituamus. Imperio ac Maieſtati tuæ, vt legitimo Auſtriæ Principi, omnia quæcunque Maiores noſtri Imperio ac Ditioni Auſtriæ ademerunt, reſtituimus, quæque in continenti poßidemus, ijs coniungimus, earum rerum Iuribus, quâcunque ratione partis, cedentes. Addemus quotannis tuæ Maieſtati legitimiſq; Imperij ſucceſſoribus in perpetuum tributi nomine quingenta auri pondo; Imperijs, decretis, legibuſque tuis placidè obtemperabimus. Defende nos quæſo à Francorum inſolentia, qui cùm paulò antè ſocij nobis fuerint, nunc hoſtes infeſtißimi facti, Veneti*

*neti nominis internecionem quærunt. Si noſtri defenſionem ſuſceperis, Vrbis te Veneti parentem ac conditorem celebrabimus, beneficia tua in Annales noſtros referemus, filijs ea noſtris memorabimus. Permitte, quæſo, vt ſis primus, ad cuius pedes Venetam Remp. ſupplicem impetratâ ſalute rerumq́ue omnium incolumitate, conieciſſe ſe, verè ac cum laude gloriari poſſis, quemq́ue à Deo ad defenſionem liberorum vxorumq́ue noſtrarum datum colamus ac reuereamur.* Et paulò pòſt. *Veneti verò tui, quod vitam, fortunas, libertatem, liberos, vxores poſſideant, Maieſtati tuæ ſecundùm Deum in ſempiternum acceptum referent, agnoſcent, & in perpetuum confitebuntur, &c.* Ita Veneti ſupplicabant.

*Maxilianus noluit Venetos perire.*

Quid Maximilianus? Inducias primùm aliquas cum ijs fecit, pacem deinde conceſſit, & nonnulla loca, quæ adempta illis fuerant, reſtituit. Perire tam nobilem Rempublicam, quæ inſigne Italiæ decus eſt, non voluit. Et certè tot inter bella, quæ geſſit, non de Monarchia, ſed de morte cogitans, quòcunque proficiſcebatur, arcam ligneam ad menſuram corporis humani fabrefactam circumduci curabat,

rabat, in eaque aliam è plumbo factam, in qua corpus ſuum ſepeliri volebat. Inſigne prorſus exemplum, quo ſucceſſores ſuos admonebat, vt in ſummo fortunæ faſtigio mortalitatis ſuæ nunquam obliuiſcerentur.

*De Carolo V. Imperatore.*

Videamus nunc Carolum Quintum Imperatorem, Orbis illum Candidatum, vt appellant, qui profectò, ſi quis vnquam alius ex hac Domo, potuit in ea Europæ Monarchiam conſtituere; ſed nec voluit, nec cogitauit. Parebat eius Imperio magna Germaniæ pars, Neapolis, Sicilia, Sardinia, Mediolanum, Comitatus Burgundiæ, Belgium vniuerſum, tota præter Luſitaniam Hiſpania, & nouus ille ad occidentem orbis; quæ potentia magnum erat acquirendæ Monarchiæ inſtrumentum. Quod ſi verum fateri velimus, magnæ illi oblatæ ſunt occaſiones, quibus ſi vti ſtatuiſſet fortunam ridentem ſecutus, dubio procul maximam Europæ partem, aut ferè totam occupauiſſet. Potuit certè tunc totius Italiæ Imperium inuadere, cùm memorabili ad Ticinum pugnâ victor totam perterrefecit. Nec alius de ipſo tum ſermo erat, fugientibus capto Rege Gallis, delitescentibus intra Alpes Heluetijs, exanimatâ metu

*Italiam potuit ſibi ſubijcere.*

metu Româ, trepidantibus alijs Regulis, quàm illum Italiam vniuerſam ſibi ſubiugaturum. Tantum verò abfuit, vt etiam inſperata ab hac victoria tranquillitas nobiliſſimæ iſti Prouinciæ affulſerit, & qui exitium expectabant, ſalutem acceperint. Potuit tunc magnum ac firmum Monarchiæ huius fundamentum iacere, cùm capta vrbe Tuneto, & Gulettâ arce Hariadenum Barbaroſſam cum copijs ſuis profligauit; ſed maluit Muleaſſem, quem ad pedes ſuos ſupplicem viderat, etſi Mahumetanæ ſuperſtitioni addictum, reſtituere. Seruiuiſſent dilatando eius Imperio duo maria, Mediterraneum & Orientale; frænum Africa ab eo accepiſſet, conſpectiſque Tunetano in Regno Cæſareis Aquilis Turca de Imperio ſuo dubitauiſſet. Potuit tunc de Gallia occupanda cogitare, cùm captiuum Franciſcum I. Regem haberet; cùm præcipua Regni iſtius nobilitas aut ad Papiam cæſa eſſet, aut capta; cùm partim profligatus eſſet Francorum exercitus, partim vltrò in fugam coniectus; cùm ſola in Regno Ludouica Franciſci mater Regijq; pueri eſſent, tam triſti nuntio conſternati mœroreque confuſi, cùm nulli propemodum ſupereſſent belli

*Item Africam.*

*Item Franciam.*

Duces, nullæ in Ærario pecuniæ; cùm ad publicam totius Franciæ triſtitiam priuati ſingulorum mœrores accederent propter filios, aut fratres, aut alios propinquos in prælio ad Ticinum cæſos. Et tunc quidem vagabatur totâ Franciâ non ſine timore rumor, Cæſarem copias ſuas in Galliam effuſurum, vel cum Anglo, qui occaſionem Franciæ inuadendæ ſibi oblatam videbat, coniuncturum. Sed non mouit ſe Cæſar, occaſionem eiuſmodi neglexit, imò nullum ob tantam victoriam lætitiæ ſignum edidit, nec edi ab alijs eſt paſſus. Id vnum ſperabat, adeſſe iam tempus Chriſtianam Rempublicam tranquillo in ſtatu conſtituendi, & bellum contra Catholici nominis hoſtes adornandi. Quanquam ſi erat ea Caroli ambitio, vt Europæ Monarchiam affectaret, cur Franciſcum Regem ſolâ fide datiſque obſidibus obligatum dimiſit? cur non tamdiu in cuſtodia detinuit, donec reuocatis ex Burgundia præſidijs, & incolis à dicto ſibi Sacramento liberatis, totam tradidiſſet? cur ſuperatis captiſque Saxone Electore & Haſſiæ Lantgrauio, non Saxoniam & Haſſiam vel Imperio, vel Auſtriacis Ditionibus adiunxit? cur Hetruriam

*Item Burgundiæ Ducatum*

*Saxoniam & Haſſiam.*

non

non occupauit, cùm potuiſſet, ſed Mediceos reſtituit? Cur Senenſes legibus ſuis non ſubiecit? Cur Vrbibus Imperij bello fractis & exhauſtis libertatem reliquit, quibus iuſtiſſimo victricium armorum Iure imponere iugum poterat? Certè qui tam opportunum gerendarum rerum tempus contempſit, qui tot augendi Imperij ſui occaſiones arripere noluit, qui tot ſupplices bonis & ditionibus ſuis reſtituit, cùm retinere ſibi poſſet; qui Mediolanum Franciſco Sfortiæ vltrò reddidit, etſi ille cum Cæſaris hoſtibus conſpiraſſet, dici ad orbis Monarchiam aſpirauiſſe non poteſt. Quid ergò voluit? quæ mens illi fuit? Audite Iacobum Thuanum in ſuprema Regni Gallici Curia præſidem. *Non aliud*, inquit, *Optimo Principi* (Carolo) *in hoc humanæ vitæ crebris tempeſtatibus iactatæ ſalo propoſitum fuit, nec aliò labores eius pertinuerunt, quàm vt gloriam Dei, quibus poſſet rationibus, promoueret & amplificaret*. Cùm aliquando Antonius Leua, alijque belli Duces, Alexandrum Magnum & Iulium Cæſarem miris encomijs extollerent, quod ad omnem propagandi Imperij occaſionem vigilantiſſimi fuiſſent, Ca-

*Thuani de Carolo V. Iudicium.*

 rolum

Digitized by Google

rolum verò dicerent victorijs ſuis ad potentiæ & magnitudinis ſuæ amplificationem, quantum poſſet & deberet, non vti, reſpondit ipſe, *Alexandro & Iulio Cæſari in bellis gerendis vnum fuiſſe finem, Honorem & Gloriam; Chriſtianis autem Regibus duos eſſe propoſitos, Honorem, & animæ Salutem.* Fuit is animus eius tam excelſus & fortunâ ipſâ maior, vt Regnum dare, quàm accipere pulchrius iudicaret; tam iuſtus, vt omnibus proferendi per arma Imperij cupiditatibus imperaret, nec ab alienis ſolùm, ſed ſibi etiam debitis Ditionibus pacis & ſalutis publicæ cauſâ abſtineret.

*Reſponſum Caroli V. Imp.*

Vnde de Franciſco Primo Galliæ Rege perpetuo virtutis ſuæ & amplitudinis æmulo dicere ſolebat, *Quod ſi Galliam omnem expugnâſſet, eam ſe tamen illi redditurum, modò id exiguum, quod ſuum eſſe contendebat, ſibi relinqueret.* Enimuerò qualis Carolus fuerit, cùm vita tam glorioſa, tum præcipuè mors oſtendit. Tantus Imperator, tot Regnorum Monarcha, tot Ditionum Dominus, ſine Imperio, ſine Regno, ſine vlla Ditione mori voluit. His enim omnibus biennio circiter ante mortem à ſe abdicatis, exiguum planè cenſum,

*Aliud dictum Caroli V. Imp.*

quo

quo viueret, vnum duntaxat equum, quo ſubinde vteretur, duodecim pro tota familia miniſtros, & in his vnum à Confeſſionibus Conſtantinum ſibi reſeruauit; nec Cæſar, nec Imperator, ſed Carolus appellari voluit. Non potuit tanta modeſtia eius eſſe, qui Orbis Imperium ambiret; non potuit ſic mori, qui omnibus imperare viuus voluiſſet.

*Vt vita eius, ita mors ab ambitione remota.*

De Philippo II. Hiſpaniarum Rege ſupereſt dicendum, quem non minùs Monarchiam Europæ, quàm Carolum patrem, affectaſſe nonnulli contendunt. Franciæ diadema, inquiunt, filiæ ſuæ Iſabellæ capiti imponere tentauit, & Regnum occupare. Hic enim paternorum Regnorum omnium & Prouinciarum hæreditatem adierat vicinis formidabilis, toti Europæ timendus. Non diffitemur autem quin arma ſua in Franciam tum conuerterit, cùm præcipui Franciæ Principes, & vniuerſus ferè populus Regem eum admittere nollet, quem Eccleſia Romana in ſinum ſuum nondum recepiſſet. Agebatur tum Religionis Catholicæ cauſa, ad cuius protectionem vocatus Philippus, copias ſuas ex Belgio in Franciam immiſit, ne Hæreſis, quæ ſumpto in Germania

*De Philippo II. Hiſpaniarum Rege*

*Cur in Franciam arma conuerterit.*

incremento Angliam, Daniam, Sueciam, Scotiam, Heluetiam inuaſerat, Chriſtianiſſimum quoque Regnum inficeret, ac poſtea Hiſpaniam Italiamque facilè corriperet. Deſiderabant Belgæ vt è Belgio bellum non transferret, in quo, abſente cum exercitu Farneſio Parmæ Principe, Prouinciarum aliquot iacturam fecit; ſed Rex ille verè Catholicus maluit tanto cum damno ſuo Regionibus aliquibus eo tempore priuari, quàm Eccleſiam Catholicam occupatâ ab Hæreticis Franciâ in vltimum diſcrimen venire. Non illum vana ambitio, ſed ardens Religionis Zelus impellebat; & accedebant Francorum Catholicorum preces illum ad hæc arma inuitantium. Non ambitioni Philippi, ſed Francorum in Religionem Catholicam affectui tribuendum eſt, quod filiam eius Reginam optârint, cui & maritum & Regem Chriſtianum è Principibus aliquem deſignâſſent. Id egit Philippus Rex, & tum conſilij ſui rationem omnibus aperuit, cùm recepto in Eccleſiæ Catholicæ ſinum Henrico Quarto Regi, quicquid in Francia ſuis armis occupârat, libenter reſtituit, & pacem cum eo ſanxit. Adeò ſi ingrati non ſunt Franci,

*Zelus Philippi pro Religione in Francia.*

Franci, debent glorioſiſſimo illi Monarchæ, ſed diuinæ inprimis benignitati, quod hodie Catholica Francia eſt. Idem Rex nihil ad paternas Ditiones, præter Luſitaniam ſummo & hæreditario Iure ad ſe ſpectantem, adiecit. Bella ferè omnia pro conſeruanda Religione Catholica geſſit, quam cùm æquo animo ferre non poſſet ex Belgio, auito patrimonio ſuo, exterminari, bellum illud inchoauit, quod hodie nondum ſopitum eſſe dolemus. Potuit iuſtiſſima ex cauſa, tum vt intra Eccleſiæ Catholicæ limites, tum vt in Regis ſui obedientia fœderatas aliquot Prouincias retineret.

Iam verò quis in illo aut ſucceſſoribus Monarchiæ cupiditatem comminiſci poteſt, qui Burgundiæ Ducatum, & tot Ditiones alias à Francis vi occupatas hactenus ad ſuum Imperium non reduxerunt? De Burgundia certè nihil eſt, quod opponant Galli. Eam à Maioribus ſuis hæreditariam Carolus Audax, ſeu Bellicoſus, accepit & poſſedit; poſſidere eandem eodem Iure Maria Burgundica Caroli vnica filia debebat, ſed illi Ludouicus XI. Franciæ Rex ſummâ vi & iniuriâ ademit. Cæſo ad Nanceum Carolo cùm Tramulius in Burgundiam miſſus

*De Burgundia contra ius à Gallis occupata.*

miſſus coram ſupremo Prouinciæ Senatu petijſſet Ludouicum Regem ſuum in Ducatus & Comitatus Burgundiæ poſſeſſionem admitti, quod eæ Ditiones hac lege à corpore Regni Francici eſſent diuulſæ, vt deficiente maſculo hærede, Regno iterùm iungerentur, reſpondit Ioannes Loartus, Senatus Præſes, *Carolum Ducem filiam Mariam vtriuſque Burgundiæ hæredem legitimam reliquiſſe, quod vel vnico Regis Ioannis Valeſij exemplo probari poſſet, qui Iure materno Burgundiæ Ducatum occupauit. Comitatum verò, Iuris Francici nunquam extitiſſe, ac ſæpiſſimè ad vtrumque ſexum morte deuolutum fuiſſe. Neutram Ditionem Regni membrum Salicæ legi ſubiectum eſſe, neque maſculinum clientale beneficium vnquam fuiſſe, quemadmodum Francorum Annales fidem faciunt, & Hiſtoriæ teſtantur; ac proinde non ita per nuptias cum Regno coniungi, quin per eaſdem auelli poſſint.* Ita refert Pontus Heuterus in vita Mariæ Burgundæ. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2. aſſerit *Burgundiæ Ducatum Philippo Audaci Margaretam ducenti, additâ clauſulâ æternæ poſſeſſionis ac ſucceſſionis, conceſſum, tam pro filiabus,*

*filiabus, quàm pro filijs.* Ioannes d'Auffay, qui Carolo & Mariæ à Conſilijs fuit, libellum ea de re conſcripſit, in quo plurimis & ſolidiſſimis argumentis Mariæ Ius in Burgundiæ Ducatum oſtendit & aſſerit. Neque de eo dubitârunt vnquam Galli; vnde Tramulius cùm accepto reſponſo vinci ſe ratione videret, mentem mutans & aliud excogitans, *Conſtare ſibi*, ait, *vicinos Germanos Burgundiæ imminere, Regi verò Iure ſanguinis prouidendum, ne cognatæ Mariæ Ditiones magno Francorum incommodo ab exteris occupentur.* Egregius ſanè prætextus; vt Germanos à Mariæ Ditionibus arcerent, eas pro ſe Franci occupârunt, & quam tueri defendereq; ſe velle ſimulabant, protinus auitis hæreditarijſque Prouincijs exuerunt ac ſpoliârunt. Nam Tramulius impoſito quorundam proditione Diuioni, quæ vrbs caput gentis eſt, præſidio, totam Burgundiam quàmprimum Regis ſui poteſtati ſubiecit; ac tum ijſdem armis Comitatum Auxerræ, Maſconij ac Charoloij, Iuris Burgundici Ditiones, inuaſit. Erat vnus omnium tunc ingens dolor, cùm viderent Mariam Ducem ſuam, vnde auxilium expectare debuiſſet, tantam iniuriam accipere, & pupil-

**Prætextus, quo Franci Burgundiam inuaſerunt.**



Digitized by Google

& pupillam non ab hoſte aliquo Barbaro, ſed à cognato Rege Prouincijs ſuis ac patrimonio priuari. Ita illa in ſubditorum ſuorum animis regnabat, ſed iugum Francus imponebat; qui non contentus Burgundiam rapuiſſe, plurimas alias eius Ditiones, quas adhuc moriens Carolus Dux poſſidebat, nullo alio, quàm armorum Iure, illi eripuit. Nimirum vt cùm illam filio ſuo Carolo Franciæ Delphino coniugem dare non poſſet, eius ſaltem magnâ ex parte patrimonium occuparet. Et profectò totum illi quoque Belgium ademiſſet, niſi Mariæ Maximilianus Frederici III. Imperatoris filius maritus contigiſſet, qui in Francos arma conuertens, eos Belgicis Prouincijs excedere coëgit; Burgundiam autem, aliaſque Mariæ Ditiones non recepit.

Vtinam Franci, cùm ad Nauarram recuperandam tot editis libris Reges ſuos excitant, Burgundiæ meminiſſent, quam nullis vnquam rationibus Regno ſuo aſſerere poſſunt. Vtinam non tacerent, minorem Britanniam Iure ad Sereniſſimam Iſabellam Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis filiam pertinuiſſe. Non ignorant enim Annam Britanniæ

hæredem

Digitized by Google

hæredem Carolo Octauo primùm nupſiſſe, Ludouico deinde Vndecimo. Et illa cùm ex altero matrimonio Iſabellam & Henricum reliquiſſet, Henricus ſine liberis obijt, Iſabella Henrici ſoror ad Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis nuptias tranſijt, illique filias duas, Iſabellam Claram Eugeniam, & Catharinam peperit. Vnde fit, vt notiſſimo Valeſiæ Domus Iure Britannia Iſabellæ obuenerit, cuius legitimi poſt eam hæredes filij Catharinæ ſunt, quorum vnus hodie Sabaudiæ Dux eſt. Sed hæc Burgundiæ Britanniæque Iura propoſitum non eſt hîc attingere, quæ ad opus aliud reſeruamus.

*Britannia minor ad Iſabellam Auſtriacam Iure pertinet.*

Quod ſi tanta in Auſtriacis Principibus ambitio eſſet, vt Europæ Monarchiam inuadere vellent, nunquam Ditiones illas ſummo ſibi Iure debitas ab alijs occupari paterentur. Sed malunt publicæ paci aliquid concedere, quàm Regnorum ſuorum & aliarum Prouinciarum tranquillitatem quouis tempore labefactare.

Neſcio an alij adhuc ex Sereniſſima Auſtriacorum Principum Familia videri poſſint, aut olim Europæ Monarchiam appetiuiſſe, aut hodie etiam appetere. Non arbitror futuram de-

*De Maximiliano II. Imperatore.*

Maximiliano Secundo Imperatore ſuſpiciónem, qui cùm anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo quinto, menſe Decembri in Comitijs Warſauienſibus à maxima Senatorum Poloniæ ac Lituaniæ parte Poloniæ Rex electus eſſet, & ab Archiepiſcopo Gneſnenſi proclamatus, Ius ſuum neglexit, & Stephanum Batoreum à nonnullis electum paſſus eſt Cracouiæ in Regem inaugurari. Erat enim, Thuano teſte, *Princeps æquitate animi, modeſtiâ, prudētiâ, iuſtitiâ inſignis, & in quo ad ſummam fortunam nihil meritò deſiderares, niſi ipſam fortunam, & firmiorem valetudinem.*

*De Ferdinando II. Imperatore.*

De Ferdinando Secundo hodie Imperatore audebo dicere, tam ſanctas ac ſinceras eius animi cogitationes eſſe, vt in eas Monarchiæ totius Europæ cupiditas cadere nullo modo poſſit. Is eſt Imperator, qui ſua tueri velit, aliena non rapere; pacis amantiſſimus, etſi propter quorundam rebellionem, & inquietam nonnullorum ambitionem hactenus habere pacem nequaquam potuerit. Nemo dicet tum illum orbis Imperium ambiuiſſe, cùm ereptam ſibi contra Ius Bohemiam, Morauiam, Sileſiam, Deo conatus eius adiu-

uante

uante, recuperauit; cùm Daniæ Regem in Germania bellum excitantem tam glorioſè repreſſit, & eidem poſtea pacem, quam vix ſperare auſus fuiſſet, conceſſit; cùm Mantuæ Ducatum ab exercitu ſuo feliciter occupatum Principi Niuernenſi Maieſtatis Cæſareæ Ius agnoſcenti reſtituit; ac demum cum armis Alberti Archiducis Principis Belgarum, & victoriſſimi Spinolæ fortitudine Palatinatum inuaſit. *De Palatinatu occupato.* Nam cùm Fredericus Palatinus Cæſari ſuo Ferdinando Bohemiæ coronam eripere tentauiſſet, & totam præterea Germaniam contra eum ad arma concitâſſet, non potuit benigniſſimus Imperator aliud perditis propemodum Imperij rebus remedium adhibere, quàm Palatinatum inuadere, vt Fredericum ad officium reuocaret. Quod ſi miſerabilis Principis alicuius conditio ſoleat alios ad commiſerationem & auxilium ferendum mouere, debuerunt Reges & Principes alij Ferdinando Cæſari ſuppetias ferre, quem exuere Regnis & hæreditarijs Prouincijs Princeps ſubditus moliebatur. Non tulit ſanè Deus tantam iniuriam Cæſari illatam, & vltor ipſe factus ſcelus in reo ita vindicauit, vt exilium pati ſit coactus, qui alienum

Imperium affectârat; imò inter homines am-pliùs non ſit, qui Domino ſuo legem dicere deſiderauit. Verùm vt hîc pluribus quoque ſu-perſedeamus, ſatis nunc conſtat Auſtriacos Principes Europæ Monarchiam nunquam af-fectauiſſe.

## CAPVT XIII.

### *De graui ſubditorum oppreßione, quæ falsò Auſtriacis Principibus imponitur.*

QVod olim Rex ille Macedo, hoc ætate noſtrâ dicere Auſtriaci Principes poſ-ſunt, *Regium eſſe benè facere, & malè audire.* Nulla mitiora ſunt ſceptra, quàm illo-rum; nulli liberiores ſubditi, quàm qui ſub il-lis; nulla ſuauior regendi ratio, quàm ea, quâ ſuos populos gubernant. Summa lenitas in eo-rum Imperijs eſt, ſumma manſuetudo in legi-bus. Et tamen non deſunt hodie, qui clemen-tiſſimis Principibus illis crudelitatem obij-ciunt, quaſi ſubditos ſuos non regant, ſed op-primant. Circa eos, inquiunt, non niſi gemi-tus & lamenta miſerorum audiuntur, palatia ſuperbis mandatis reſonant, omnia planctibus & eiu-

& eiulatibus pleniſſima ſunt. Nullibi in eorum Imperijs tuta innocentia eſt, non ſecurus Virginum & Matronarum pudor; exhauriuntur ſingulorum opes, & nemo tam bene natus eſt, quin ſeruire cogatur. Ipſa nobilitas ſeruitute oppreſſa eſt, & vix liberè reſpirat; leges non aliæ ſunt, quàm Principum, imò quàm obſcurorum quandoque Præfectorum arbitria, nec pro iuſtitia, ſed pro auaritia & crudelitate. Sic differunt ſcribuntque, qui hoc tempore Eloquentiæ palmam ambientes, calamo in Auſtriacos Principes debacchantur. Et certè plura illi ſcribere audent, quàm pudor honeſto ori referre permittat. Ipſa veritas legentibus oculos claudit & linguam retinet, quaſi piaculum ſit oculos tot mendacijs peruoluendis occupare, & linguam falſis ſermonibus efferendis præbere. Nec deſinunt has ob cauſas ſubiectis Genti Auſtriacæ populis libertatem oſtendere, ad eam inuitare, auxilium offerre. Iſta vis inuidiæ eſt & malignitatis, cui vt os obturemus, id inprimis agendum eſt, vt oſtendamus Principes Auſtriacos non Tyrannos eſſe, ſed benigniſſimos Monarchas; deinde in eorum adminiſtratione ſummam eſſe moderationem;

*Balſacus in Principe.*

*Principes Auſtriacos non eſſe Tyrannos.*

nem;

Digitized by Google

nem, & ſubditis accommodatiſſimam.

De Rudolpho Primo.

Atque vt ab authore Familiæ huius ordiamur, nemo vnquam Rudolphum Primum Imperatorem aliquâ crudelitatis labe aſpergere eſt auſus, qui totâ vitâ humaniſſimus & affabilis maximè fuit, adeò, vt ſatellitibus ſuis vbique præciperet, ne quenquam, etiam pauperem, ab acceſſu & colloquio ſuo arcerent. *Sinite*, inquiebat, *homines ad me venire, non enim ideò ad Imperium ſum vocatus, vt in arcula includar*. Sæpius etiam ſententiam hanc vſurpabat. *Seuerum & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit; lenem & placabilem nunquam*. Prudentum conſilia & admonitiones æquiſſimo animo admittebat; adulatorum blandas & ad decipiendum compoſitas voces auerſabatur. Dicebat enim, *adulatores lupis haud abſimiles eſſe. Nam ſicut hi titillando & ſcalpendo aſinos vorant, ita adulatores blanditijs & verborum lenocinijs ad interitum Principum vtuntur*. Erat eius Symbolum, *Melius bene imperare, quàm Regnum amplificare. Prudentiâ enim gubernantur Regiones, quarum limites Tyrannide nunquam extenduntur.*

Albertus

Digitized by Google

Albertus I. Imperator Auſtriacus cùm ab omni virtute, tum à clementia & manſuetudine potiſſimùm commendatur. Sufficiat vnum Ioannis Cuſpiniani teſtimonium. *Albertus*, inquit, *fuit pientiſsimus Princeps, ſagacitate & clementiâ nulli ſecundus. Munificus in bene meritos, ſcelerum vindex acerrimus, inter Germaniæ Principes veluti fulgentiſsimum ſydus eluceſcens. Tria potiſsimùm genera hominum amabat ac venerabatur: pudicitiâ fœminas claras & illuſtres; Clerum deuotum & religioſum; milites ſtrenuos & fortes. Bilingues graui odio perſequebatur. Laſciuorum contubernia euitauit, coniugali caſtitate inſignis, quandoquidem vxorem vnicè dilexit. Patientiâ vtebatur erga inimicos ſummâ; non præceps in vindictam, iniurias facilè obliuiſcebatur.* Eius ſymbolum erat, *Eligenda eſt optima vitæ ratio, hanc conſuetudo ſuauiſsimam reddit.* Seu, *quod optimum, idem iucundiſsimum.* *De Alberto I.*

Fredericus Auſtriacus, cognomento Pulcher, electus cum Ludouico Bauaro Imperator tam ab omni ſæuitia abhorruit, imò ab omni nefario facinore, vt crebro ſermone vſur- *De Frederico Pulchro.*

paret, *Quod pudeat palàm, clàm ne facito:* vnde illi ſymbolum fuit, *Quod palàm, hoc clàm.* Imò ſummum hominis bonum credebat *bonum eſſe ex hac vita exitum.* Vnde illi alterum Symbolum fuit, *Morte beatâ nil beatius.* Qui ita ſentit, & ita loquitur, Tyrannus eſſe non poteſt.

*De Alberto II.* Albertum II. Imperatorem Auſtriacum à liberalitate, clementia, & Religionis amore ita Hiſtorici commendant, vt Delitium Imperij fuiſſe velint. Addunt ijdem ſpem fuiſſe, ſi longior ei vita contigiſſet, illum collapſam Imperij dignitatem reſtituturum. Vnde Sigiſmundus Imperator dicere de illo ſolebat, *Beatam illam Rempublicam futuram, cui Albertus imperaret.*

*De Frederico IV.* Fredericus IV. vel, vt alij, III. Imperator Auſtriacus tam alienus à Tyrannide & tam amans pacis fuit, vt vulgò *Pacificus* ſit dictus. Sub eo per annos quinquaginta tres ſumma pax & otium Germaniæ contigit, ac tum plurimæ excitatæ ſunt Academiæ, quas ipſe Cæſareis Priuilegijs ornauit. Iſtud certè Tyranni non eſt opus.

*De Maximiliano I.* Maximilianum I. Cæſarem Auſtriacum, vt Hiſtorici

Digitized by Google

Hiſtorici teſtantur, nemo vnquam adijt, quin humaniſſimum & affabiliſſimum Principem inuenerit. Ipſe verecundos & timidos humanitate ſuâ ita recreabat animabatque, vt reiecto timore liberiùs cum eo, quæcunque tandem cupiebant, pertractarent. *Naturâ clemens, liberalis, humanus, elegantis ingenij, pacis belliqúe artium peritiſsimus erat, vt ait Pontus Heuterus.* Omnes *Patrem* illum paſſim appellabant. Imò talis erat, inquit Ioannes Cuſpinianus.

*—— Quo nil mortalibus vnquam*
*Ediderat ſtellâ proſperiore Deus.*

Carolum V. Imperatorem Auſtriacum à Tyrannidis ſuſpicione vindicare ſuperuacanei ſermonis eſt. Tanta quippe in illo pietatis, ſapientiæ, benignitatis, clementiæ, & omnium Optimi Maximi Principis virtutum præſtantia fuit, vt *Sui temporis Naturæ miraculum*, diceretur. Ita teſtati ſunt viri boni & ſapientes, qui in eius familiaritatem admittebantur. Audiant omnes Iacobi Thuani ſupremæ in Francia Curiæ Præſidis de eo Iudicium. *In eo Principe*, Carolo V. inquit, *cum virtute certauit fortuna, vt illius meritis ſupremum felicitatis fa-* *De Carolo V.*

*ſtigium imponeret. Neque verò vllum perfecti magis, & ad omnem virtutem expreſſi Principis exemplar noſtrâ & retrò ſæculorum memoriâ reperiri poſſe arbitror, quod ijs, qui ad Imperium virtutis viâ graſſantur, ad imitandum proponi queat. Nam quid ei ad ſummam vtriuſque laudem defuit, ſiue ingenium & prudentiam in conſilijs ſpectes, ſiue conſtantiam in aduerſis, in proſperis moderationem, præſentiam animi in periculis, temperantiam, & quæ omnium in Principe virtutum culmen ac cumulus eſt, iuſtitiam?* Hoc Elogium Tyranni non eſt; neque talis eſſe potuit, quem ſummus Eccleſiæ Pontifex *Maximi* nomine condecorandum ab omnibus iudicauit, ſi tantum nomen admittere eius modeſtia voluiſſet. Quotidie remotâ mensâ omnibus omnium ordinum, infimæ etiam fortunæ hominibus adire eum, alloqui, ſupplices libellos exhibere licebat. A Tyrannico faſtu, contemptu, ac deſpicientia inferiorum ita alienus erat, vt etiam captiuo Principi Ioanni Frederico, quoties eum præteribat, reuerentiam capite retecto exhiberet. Ea eſt omnium de eo ſcribentium confeſſio, illum in bello etiam ge-



Digitized by Google

rendo & parta victoria, à crudelitate & ſupplicijs abſtinuiſſe.

De Ferdinando I. Imperatore Caroli V. fratre quid aliud dicam, quàm, quod omnes Hiſtorici commemorant, fulſiſſe in omni eius vita, actionibus, iudicijs, ſententijs, vultu ac geſtibus bonitatem natiuam, moderationem, clementiamque verè Regiam ac diuinam? Frederici Tertij proaui ſui manſuetudinem vbique prædicabat; illam Rudolphi I. ſententiam in ore ſemper habebat, *Seuerum & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit, lenem & placabilem, nunquam.* Ornabat hanc clementiam ſingularis & propria Genti Auſtriacæ affabilitas & comitas. Omnibus cuiuſcunque ordinis & fortunæ aditus ad illum patebat, etiam infimis, quos placidiſſimè audiebat, quibus clementiſſimè, ſine faſtu, moroſitate, faſtidio reſpondebat. Semel cubicularius, cum humilioris conditionis fœminam ab acceſſu Imperatoris arcuiſſet, ab eo grauiter eſt obiurgatus. Dicebat illi, *Si nos excludimus inopes à conſpectu noſtro, quid nobis ipſis ad tribunal Dei eueniet?* Eius ſymbolum fuit, *Fiat iuſtitia, aut pereat mundus.* De Ferdinando I.

De Maximiliano II. Maximilianus II. Ferdinando Patri ſucceſſit. Quis ille, quantuſque Imperator? *Princeps*, vt antè retulimus, *æquitate animi, prudentiâ, & Iuſtitiâ inſignis, & in quo ad ſummam fortunam nihil meritò deſiderares, niſi ipſam fortunam, & firmiorem valetudinem.* Thuanus. Ad ipſum menſæ adſtantem aut prope aſſidentem aditus omnibus omninò patebat, etiam abiectiſſimæ fortunæ hominibus, quibus non tantùm placidè & comiter, ſed etiam eâdem linguâ, quâ illi ſua proponebant, reſpondebat. Nemo eum vnquam adijt, quin lætior redierit; Publicis elogijs, *Amor & Delitium generis humani*, dicebatur. An hic ergò Tyrannus?

De Rudolpho II. Rudolphum II. Imperatorem (vt hoc tantùm dicam) à Tyrannidis ſuſpicione omnes propemodum terrarum Orbis Principes liberant. Tanta enim erat in illo coniuncta cum authoritate humanitas, vt eius amicitiam præter Chriſtianos, Perſæ, Turcæ, Moſci expeterent. Nunquam quietior Germania, quàm ſub illo. Nemo de eo conqueſtus eſt vnquam. Seuerus erat in adminiſtranda iuſtitia, ijs tamen ſemper & libenter ignoſcebat, qui mereri aliquo modo veniam videbãtur. Symbolum illi fuit,

Digitized by Google

fuit, *Omnia ex voluntate Dei.* Nimirum nihil illi in votis erat, nihil agebat, nihil moliebatur, niſi quod diuinæ Maieſtati gratum fore exiſtimaret.

Matthias I. poſt Rudolphum fratrem Imperij gubernacula ſuſcepit, ac ſtatim cum eo Turcæ inducias, Perſæ & Moſci amicitiam ſanxerunt. Totus in eo fuit, vt diſſidia cùm inter quoſdam Germaniæ Principes, tùm inter ciuitates componerentur. Vigere iuſtitiam vbique voluit, ſed eam tantâ benignitate temperauit, vt mitiſſimus Imperator appellaretur. Fuit verè talis, ſed tum è viuis exceſſit, cùm grauiſſima Germaniæ tempeſtas immineret. *De Matthia I.*

Hanc excepit glorioſiſſimus hodie Imperator Ferdinandus II. Auſtriacus, & ſuſtinuit, & adhuc ſuſtinet, verè inuictus, verè bonus, iuſtus, pacificus & moderatus. In eo nemo quicquam reprehendit, niſi fortè, (quod eius gloriæ tribuendum eſt) ardentem Catholicæ Religionis Zelum, & nimiam benignitatem, quâ in omnes reos vtitur, reprehendendam exiſtimet. Adeò hactenus inter Cæſares Auſtriacos nullus Tyrannus fuit, omnes verè iuſtiſſimi & clementiſſimi Principes extiterunt. *De Ferdinando II.*

Videre

Digitized by Google

De Philippo II. Hiſpaniæ Rege.

Videre nunc Auſtriacos in Hiſpania Reges oportet, qui profectò non minori clementiæ laude floruerunt, quàm eorum in Germania Maiores. Inter eos Philippus Secundus Caroli V. Cæſaris filius, cognomento *Prudens* eſt dictus, quod conſilij maturitate & ingenij dexteritate longo interuallo ſui temporis homines ſuperaſſe credatur. Totum illi corpus ita ad maieſtatem compoſitum erat, vt illum intuendo alloquendoque non pauci turbarentur. Inerat ori ſeueritas quædam, & membris omnibus grauitas; ſed vtramque tantâ manſuetudine ac benignitate temperabat, vt ad amorem cum timore prouocaret. Hic eſt, quem Hæretici quidam Tyrannum quia hoſtem vbique ferè ſentiebant, audent appellare; quem alij nonnulli eius gloriæ & magnitudinis inuidi Scriptores crudelem Regem nuncupant, quia ſeſe in puniendis delictis quandoque ſeuerum exhibebat. Iuſtitiam eius laudare deberent, quam ita exercuit, vt ſub ipſo vix peccare liceret. Sed nimirum nunquam inuidiæ deeſt, quod carpat; & ne quid deſit, ſiniſtrâ interpretatione virtutes tanquam vitia in ignominiam trahit. Dedit ille domeſticum iuſtitiæ exemplum,

Digitized by Google

plum, quod omnis poſteritas, frendeant licet inuidi, admirabitur; dedit alia alibi planè illuſtria & ſæculis venturis memoranda; plura tamen ſummæ clementiæ& benignitatis. Sciunt illi Belgæ & alij, qui ab eius obedientia ſe ſubſtraxerunt. His enim non ſemel delictorum omnium veniam & obliuionem decreuit, vt hâc indulgentiâ ad officium eos reuocaret. Nitebatur hâc conſcientiæ fiduciâ, vt inter poſtrema verba moriens diceret, *Nemini ſe vnquam iniuriam, niſi fortè ignarum, feciſſe*. Clemens Octauus Pontifex audientibus Purpuratis Patribus hoc illi Elogium dedit, *Philippi vitam continuam fuiſſe contra Ethnicos, hæreticos, & errores pugnam.* Petrus Matthæus Franciæ Hiſtoriographus in eo extollit Pietatem, Religionem, Iuſtitiam, Liberalitatem, Conſtantiam, quæ virtutes non Tyranni ſunt, ſed ſummi Regis, tantoque cum ſplendore in eo fulſerunt, vt imitari multi poſſint, nemo ſuperare. Integerrimâ ſemper fide Ius populis dicebat, legum inuiolatam authoritatem ſeruabat, iniuriam ab oppreſſis propulſabat, opprimentes mulctabat. Faſſus eſt Gregorius XIII. vitam eius neceſſariam Eccleſiæ fuiſ-

 ſe, cuius

Digitized by Google

ſe, cuius erat baſis & fulcrum. Fatentur melioris notæ Hiſtorici Regem Philippo maiorem mortalibus dari vix poſſe. Dominicus Baudius non ita pridem apud Batauos vir doctus, cùm in obitum huius Regis acerbiùs & intemperantiùs ſcripſiſſet, vt ipſemet dicit, quàm homini priuato in ſupremam poteſtatem licere fas piumque ſit, incitatus tantùm ſtudio partium, affirmat *eum ab ingenio propenſum ad clementiam, miniméque auidum humani ſanguinis fuiſſe, ac tales ferè omnes Auſtriacæ Gentis Magnates eſſe.* Certè inter alia Regiæ eius benignitatis & gloriæ ornamenta, non vltimum fuit, quod ingenti pecuniarum vi quotannis maximum Chriſtianorum numerum ex miſerrima Turcarum ſeruitute ſæuiſſimiſque cruciatibus liberabat. Ea in re Poſteri eius illum in hunc vſque diem imitantur, nec quicquam aut diuino Numini gratius eſſe poteſt, aut ad famam Auſtriacæ clementiæ glorioſius.

Porrò qualis Philippus fuerit, mors eius oſtendit. Ita enim obijt, *Ut inter morbi cruciatus appareret, mentem eius tranquillâ pace, ac ſecuritate conſcientiæ ſuſtentari,* Verba ſunt

Dominici Baudij Sectarij, & tum apud Fœderatos Belgas viuentis. Plura Catholici Scriptores, ſed omitto. Idem Rex eam moriens conſignatam ſcripto inſtructionem filio ſuo Philippo dedit, quam aliquando Franciæ Rex Diuus Ludouicus ſub mortis horam filio ſuo Philippo reliquerat. *Deum ardentiſſimè ſemper amaret. Animum lethifero delicto nunquam inquinaret. Aduerſitates æquo animo, & quaſi promeritus, perferret. In proſperis nunquam extolleretur, nec peior ijs fieret, quibus melior eſſe deberet. Peccata ſua, etiam minima, prudenti Sacerdoti ſæpè confiteretur, & eundem liberè reprehendentem libenter audiret. Attentâ mente diuinis officijs intereſſet. Benignus erga pauperes & liberalis eſſet. In rebus arduis conſilia Prudentûm expeteret. Nullos in amicitiam & familiaritatem, niſi probos, virtute conſpicuos, bonaq; fama admitteret. Malorum conſuetudinem vitaret. Nullius famæ vel honori detraheret, nec detractores apud ſe conſiſtere aut loqui pateretur, multò minus blaſphemos. Quotidie pro acceptis beneficijs Diuinæ Maieſtati gratias ageret, vt alia mereretur. In adminiſtratione*

*Præcepta Philippi II. data filio Philippo III.*



Digitized by Google

*Reipub. integer, & ſeuerus ad Legum normam eſſet. Inopum querelas aßiduè audiret. Veritatem ſcire ſedulò adlaboraret. Si quis de eo conquereretur, ipſe ab illius parte ſtaret, donec iudex pronuntiaſſet. Si quid dubio fortè iure poßideret, id virorum ſapientûm arbitrio ad veritatem cognoſcendam ſubmitteret. Eam gloriam maximam putaret, ſi iuſtitiâ paceq́ue ſubditi perfruerentur, potißimùm verò Sacerdotes & Religioſi: daret operam, ne quid illis deeſſet. Sciret ſe Maioribus & parentibus amorem, obedientiam, reuerentiam debere. Sacerdotia dignißimis, nec plura vni, conferret. Bellum nemini ſine iuſta cauſa conſilioq́ inferret. Si inferre cogeretur, caueret ne ſacræ diuino Numini ædes, & innocentes damnum acciperent. Pacem vbiq́ procuraret. Inter aliorum arma, tanquam arbiter, concordiam ſtabiliret. Nullos ad Reipublicæ Magiſtratus, niſi bonos, promoueret. In eorum mores & officia ſecretò inquireret. In obedientia Romanæ Eccleſiæ perſeueraret. Pontificem Maximum tanquam patrem haberet & coleret. Sumptus Regiæ familiæ ſuæ moderationis & honeſtatis lege metiretur.* Plura videre licet apud Cerue-

ram

ram Turrianum in libro de felici exceſſu Philippi II. Auſtriaci, & apud alios. Id tantùm dico, ea præcepta non Tyranni ſunt, ſed Pijſſimi, Religioſiſſimi, Sapientiſſimi, Benigniſſimi, & Prudentiſſimi Regis.

*De Philippo III.*

Non vereor, ne quis ſæuitiam vllam in Philippo III. audeat comminiſci, qui quod cum omnibus pacem ſuo tempore ſanciret, Pacificus eſt dictus. Nihil illo manſuetius, nihil benignius fuit.

*De Alberto Belgarum Principe.*

De Alberto Auſtriaco Belgarum Principe nemo malè ſuſpicari, nec ipſa mentiri fama auderet. Tanta in eo bonitas erat, vt illum odiſſe nemo poſſet, omnes amarent, omnium delicium & amor eſſet, ipſi etiam non ſolùm exteri, ſed & hoſtes diuinum planè Principem eſſe faterentur. Illum Principem optimum Belgium habuit, & *Pium* appellauit; illum patrem amantiſſimum expertum eſt, & adhuc hodie talem luget. Cum eo & poſt eum vſque ad Cal. Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi tertij Belgicas Prouincias rexit Sereniſſima Princeps Iſabella, Clara, Eugenia, in qua, quemadmodum alibi ſcripſi, *prudentia & fortitudo ſupra ſexum, modeſtia & huma-*

*De Iſabella Infante.*

 *nitas*

*nitas ſupra conditionem, pietas & religio ad admirationem. Belgas amabat vt filios, gubernabat vt mater.* Si de ea conqueri fas eſſet, non de ſeueritate, ſed de nimia eius benignitate & clementia conquereremur. Iuſtitiæ nonnunquam obliuiſci videbatur, vt parceret. Ita illi innata manſuetudo erat, vt ſeueritatem induere non poſſet. Sed fruſtrà laudo, quod nuper in omnium oculis fuit, & in ore adhuc eſt. Ea Belgarum confeſſio eſt, meliorem dari Principem non potuiſſe, gratiorem Belgas non optauiſſe.

*De Philippo IV. Hiſpaniarum Rege.*

Reſtat Philippus IV. Hiſpaniarum & Indiarum Monarcha, Belgarum hodie Princeps. Sed nolo ab iniuria calumniatorum clementiam eius vindicare, cùm de ea ſiniſtra eſſe ſuſpicio non poſſit. Vnum hoc elogium conuitiatorum maledicentiam refutabit. Quicunque, neſcio quo nuper fato, ab eius Imperio & obedientia ſunt abſtracti, votis omnibus eidem ſubijci rurſus exoptant. Nullam credunt, niſi ſub optimo Rege ſuo libertatem eſſe poſſe. Animis illi adhærent, cùm aliter non poſſint, & iam prius ſeruire ſe intelligunt, cùm mite Principis ſui ſceptrum non vident. Fruebantur

Digitized by Google

bantur ſub illo bonis ſuis intra iuſtitiæ fines, & in Religionis Catholicæ puritate Maiores ſuos imitati ad certiſſimam ſalutem anhelabant; nunc ad aliorum arbitrium viuere coguntur, & tantum duntaxat ferè habent, quantum illi volunt. Dolent & ingemiſcunt templa quædam ſua profanari, parentum ſuorum cineres impietatis damnari, Religionem ſuam ludibrio haberi & errorum argui. A quibus? Ab ijs certè, quorum vita ſine libidine, mores ſine turpitudine, doctrina ſine opprobrio non eſt.

*Moderatio in Auſtriacorum adminiſtratione.*

Conſideremus nunc, quod ſecundo loco propoſuimus, ſummam in Auſtriacorum Principum adminiſtratione moderationem. Illud inprimis contendo, in eorum Prouincijs ac Regnis tantam libertatem eſſe, vt maior alibi etiam in Ariſtocratico Democraticoque ſtatu eſſe non poſſit. Illa duos intra limites, iuſtitiæ & rationis conſiſtit; quicquid iuſtitia permittit, hoc omnibus licet; quicquid ratio concedit, fieri ab omnibus poteſt. Vndè fit, vt qui Auſtriacis ſubditi ſunt, liberrimos ſeſe arbitrentur, quia iuſtitiæ legibuſque parere debent, & à rationis præſcripto diſcedere non poſſunt. Sciunt eos verè liberos eſſe, non qui pro ar-

*Libertas ſub Principibus Auſtriacis.*

bitrio

bitrio viuunt, ſed qui Regibus & Magiſtratibus ſuis obedientes vitam ad rationis legumque normam componunt. Ideò Principibus ſuis libenter ſubſunt, & eorum Imperium agnoſcunt; illi regunt legum poteſtate, hi obtemperant honeſtâ voluntate. Non tollunt libertatem Reges, ſed conſeruant: nec iugum imponunt, cùm legibus coërcent, ſed honeſtæ vitæ diſciplinam tuentur. Quis nolit honeſtè viuere? Plus iuſto ſapere volunt, qui, vt libertas ſit, nullum Regem aut Principem eſſe debere contendunt. Imò Regum bonitas ſubditorum eſt libertas; & vbicunque boni ſunt Reges, ibi liberi ſunt ſubditi. Sunt Regna magnæ quædam familiæ, in quibus Reges cum ſubditis viuunt, tanquam patres cum liberis, leniter ferè ſemper agunt, interdum, cùm opus eſt, ſeueritatem vtilem admiſcent, ne praui quidam in aliorum perniciem fiant. Et certè non aliud ſunt Principes Auſtriaci, quàm leges ipſæ, cùm non aliter, quàm ſecundùm leges viuant ipſi, & alios regant.

Triplex ſub ipſis, quemadmodum & alibi, hominum eſt ordo, Eccleſiaſticorum, Nobilium, Plebeiorum. In Eccleſiam & Eccleſiaſticos

ſticos Ius non ſumunt, ſed inſpectionem, & ijs patrocinium ſuum præbent. Sciunt enim, ſicut Leo Primus Pontifex dixit, quod *Regia poteſtas, non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium ſit collata.* Ideò viribus omnibus eam defendunt, ornant, promouent. Vide templa in Ditionibus Auſtriacis, quantus eſt eorum ſplendor? Conſidera ſacros Religioſorum hominum Ordines, quantus omnium ſub accuratiſſima diſciplina feruor? Circumſpice vrbes & vicos, quantus ſacrorum Præfectorum & Parochorum ardor? quanta vigilantia? quanta integritas & ſedulitas? Intueare conſtitutos ab ijs Eccleſiarum Antiſtites; ijs meliores aut digniores eſſe non poſſunt. Fateor alibi etiam Eccleſiam & Religionem Chriſtianam vigere, ſed illa nullibi magis, quàm ſub Auſtriacis floret. Id eorum curæ & exemplo debetur. Inſpiciunt ſedulò in omnium officia, inquirunt, admonent. Subditis ad omne pietatis genus præeunt, & illi Principes ſuos tam pios libenter imitantur. Ne quid Eccleſia aut Religio detrimenti accipiat, diligenter animaduertunt. In Sacerdotijs conferendis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, nihil ſan-

*Quomodo erga Eccleſiaſticos ſe gerant.*



Digitized by Google

guini aut fauori dant; probitati, virtuti, doctrinæ fauent. Magni ponderis apud eos eſt vitæ præclarè actæ & eruditionis teſtimonium, ſine quo nullus commendationi eſt locus. Interim nihil Eccleſiaſticorum Priuilegijs detrahunt, nihil in ſacrorum Ordinum Conſtitutionibus immutant, nullius poteſtati derogant; omnes iuuant, fouent, conſeruant; omnes liberrimi ſunt, modò boni & ex norma ſua viuentes.

*Quomodo erga Nobiles.* Nobilium ordo ad Reipublicæ defenſionem à Regibus eſt conſtitutus, & pars quædam eius maxima præcipuaque. Erga nobiles ita ſe Principes Auſtriaci gerunt, vt eos primo poſt ſe loco habeant, honoribus ornent, præmijs cumulent. Omninò poſt Principes primo in gradu ſunt, & in Republica ſecundi. Propter fidem, fortitudinem, & prudentiam primas illis in bello partes aſſignant; propter honorem & dignitatem, eos in Aulis ſuis apud ſe habent. Conſtituuntur Prouinciarum Rectores, vrbium Præfecti, ad Monarchas Legati. In rebus Reipublicæ arduis eorum conſilia expetuntur & audiuntur. Gaudent omnes dignitatis & ordinis ſui Priuilegijs, moderatè reguntur, in honore & pretio ſunt, non contemnuntur,

nuntur, non negliguntur; modò tamen ad natalium ſplendorem mores non diſſimiles, induſtriam, & virtutem adiungant, nec illam Maiorum ſuorum claritatem turpitudine aliquâ maculent. Hoc omninò aſſerere poſſumus, nullibi tam liberos, nullibi tanto in pretio, nullibi tanto in amore nobiles eſſe, quanto ſub Principibus Auſtriacis, qui per eos regunt, per eos bella gerunt, per eos ſuarum Aularum dignitatem & ſplendorem tuentur. Id verò etiam agunt, vt Nobiles aliquo ſemper beneficio ſibi deuinctos habeant, cenſu aliquo annuo, ſi opus ſit, iuuent, præmijs ſemper & honorum maiorum titulis, ſi rem præclarè geſſerint, condecorent. Nimirum tam illuſtris Familia non poteſt non genere & virtute illuſtres amare.

*Quomodo erga plebeios.*

Quod ad plebeios attinet, qui vel mercatores ſunt, vel opifices, vel agricolæ, eorum tanta in Auſtriacorum ditionibus cura eſt, quanta illorum ad Reipub. ſuſtentationem neceſſitas. Illos ipſi Principes ſuâ authoritate tuentur, beneuolentiâ complectuntur, clementiâ humitatéque fouent. Atque hinc vrbes opulentæ ſunt, artes & opificia vigent, ingenia eminent,



Digitized by Google

induſtria in pretio & honore eſt. Interim omnium in hoc ordine ea libertas eſt, vt bene viuendo nihil timeant, nullam vim à quoquam patiantur, bonis ſuis ſummâ cum tranquillitate fruantur. Habent ſua Collegia opifices, & Priuilegijs à Principibus conceſſis vtuntur. Nemo eſt, qui de Principum adminiſtratione conqueratur, ad eos aditus omnibus patet, audiunt libenter, etiam infimos, reſpondent benignè. Nihil omninò, quod bonorum eſt Principum, omittunt; nulli Maieſtas terrori eſt, quæ nec pauperes excludit. Ab omnibus vis & iniuria arcetur; imò cum ipſis Principibus lite certare, ſi occaſio ſit, licet, quod ita velint & permittant, nec dignitas Ius dicit, ſed Leges & Iuſtitia. Imperia Magiſtratuum ſub tam benignis Principibus lenia ſunt, non dura, non contumelioſa. Toto denique in Auſtriaco Imperio nihil acerbum eſt, nihil crudele; omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis. Nemo inauditâ causâ, aut negatâ defenſione de bonis vel vita vnquam eſt ſub illis periclitatus.

*De moderatione vectigalium.*

Magna quoque pars libertatis eſt moderata tributorum exactio. At verò ea tanta eſt in Ditio-

Ditionum Auſtriacarum Imperio, vt nulla vectigalia imperentur, quæ præſtare omni Iure populus non teneatur. In ijs imponendis aut exigendis ſingularum Prouinciarum mos ſeruatur. Si Ordinum neceſſarius eſt conſenſus, ſine hoc nihil Auſtriaci iubent, nihil exigunt. Adeò etiam in Belgio infima plebs velle debet, quod Princeps petit, & hic non aliter petit; nimirum cùm vectigalis extraordinarij neceſſitas eſt. Cenſus ſuos & velut quoddam patrimonium, ſeu Iura Dominij Principes habent, quæ vt exigant recipiantque, ſubditorum conſenſu non egent. Iſta ſecum Ius Maieſtatis adfert. Cæterùm quæcunque pro temporum neceſſitate ab Auſtriacis vectigalia iubentur ſeruato regionum more, eam habent moderationem, vt eorum, qui pendere debent, facultates non excedant. Neque enim graues eſſe populis ſuis volunt, ſed patriæ neceſſitati ex ſingulorum opibus ſubuenire. Ac plerumque ipſi Ordines conceſſum vectigal colligunt, & Principibus ſuis perſoluunt. Ita fit, vt populum plus æquo onerare, etſi vellent, non poſſint. Sed volunt, maluntque nonnunquam monilia ſua, reſque alias pretioſas aut vendere,

aut pignori dare, quàm nouis ſubditos ſuos tributis onerare. Ita fecerunt Sereniſſimi Principes Albertus & Iſabella, non minori propterea laude efferendi, quàm Nerua, Tacitus, & M. Antoninus Imperatores. Quid; quod nuper non pauca dominia Philippus Quartus oppignorauit, vt belli ſumptibus & patriæ neceſſitati ſatisfaceret? Nullius immunitas violatur, nullius Priuilegia læduntur. Eccleſiaſtici aut ſponte aliquando in publicum aliquid conferunt, aut ita iubente ſacrorum ſummo adminiſtratore Pontifice Romano. Audebo & illud addere, nullorum Regum aut Principum ſubditos tam leuia ſuſtinere onera, tam moderata pendere vectigalia, quàm qui Auſtriacis parent. Iactitent etiam quicunque volunt libertatem ſuam, & in Rebuſpublicis ſine Rege liberrimos ſe proclament, fateri tamen debent, (vt de alijs taceam) multò pluribus grauioribuſque tributis ſeſe onerari, quàm eos Belgas, qui in Regis obedientia Religionem auitam retinent. Ita vident & iudicant, qui nullo partium ſtudio, ſed veritatis affectu cuncta metiuntur. Quanquam ſatis iam fortaſſe multa de Auſtriacorum Principum moderatione, ex quibus liquidò

conſtat

Digitized by Google

conſtat eos, qui Auſtriacorum Imperium agnoſcunt, regi, non opprimi, benignè tractari, non crudeliter vexari: imò nullam maiorem eſſe, quàm eorum libertatem.

## CAPVT XIV.

### *Nonnullæ obiectiones contra Principum Auſtriacorum Politicùm regimen, & ad illas reſponſio.*

QVàm moderatum ſit Auſtriacorum Principum regimen, quàm lenia iuſtaque eorum Imperia, quàm accommodatus ad humanam ſocietatem gubernandi modus, dubitare iam nemo poteſt. Ne quod tamen adhuc dubium in quorundam animis inſideat, dum tanta licentiæ & anarchiæ cupiditas eſt, nec vllus concepti in Auſtriacos odij modus, diſcutiemus nunc illa, quæ contra mitiſſimum ac iuſtiſſimum Auſtriacorum Imperium opponunt. Ea eſt infeliciſſima humani generis inquietudo, vt vix vnquam ſine motu aliquo ſit, ſed ab hominum vitijs ea inquietudo eſt, ab auaritia, ab ambitione, à libidine, à furore, à licentiæ cupiditate. Si perſuadere ſibi poſſent

poſſent quidam homines, *Omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe*, vt Gentium Doctor affirmat, non tot hodie Chriſtiana Reſpublica bellis ciuilibus agitaretur, non tot eſſent ſeceſſiones ſeditioneſque, non tot rebelliones ſine cauſa, ac penè ſine prætextu concitarentur. Sed hæc mala orbi terrarum adfert libertatis per nimiam felicitatem luxuriantis intemperantia, quæ frænum rationis recuſat, & nullum Imperium admittit. Non intelligunt Principem eſſe hominum rerumque in ciuili ſocietate vinculum, cuius ea poteſtas eſſe debet, quæ capitis eſt in membra. Non conſiderant ſingulos homines in magno Reipublicæ corpore quædam eſſe membra, quæ à capite auulſa, retinere incolumitatem, vigorem, robur non poſſunt. Verùm quia hoc malum remedij impatiens eſt, & quanquam ſciant quod, vt idem Gentium Doctor ait, *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, feruntur tamen in ſuum exitium, turbantque & collidunt populos inter ſe, nos ijs, quæ obijci poſſunt, quantum in nobis eſt, ſatisfaciamus.

Nulla,

Digitized by Google

Nulla, inquiunt, in Ditionibus Auſtriacis Religionis & conſcientiæ libertas eſt. Nemo quod vult de Deo ſentit, omnes ad Pontificum præſcriptum colere Deum coguntur, & ad Eccleſiæ Romanæ normam mores componere. In Religionem autem & pietatem qui Ius ſumit, etſi cætera concedat, libertatem vniuerſam tollit, & ſeruitutem inducit. *Obiectio I De libertate Religionis.*

Nolo hîc controuerſiam illam definire, *vna an plures in Republica conſtituendæ, aut ſaltem tolerandæ ſint Religiones*. De ea iam alibi diſſerui, & inter Politicas Diſſertationes meas in lucem emiſi. Indignum eſt diuinum cultum ad libertatem quoque vocari, quaſi ſeruitus ſit vno ſenſu atque vno ritu Deum colere, qui ſicut vnus eſt, ita vna fides & Religio eſſe debet. Porrò, vt de Auſtriacis in Germania Prouincijs (de quibus ſequenti capite) hîc taceam, id dico, Sereniſſimos Auſtriacæ Domus Principes, præter Catholicam Romanamq́ue Religionem, alias in Prouincijs ſuis tolerare non poſſe. Anno ſexcenteſimo trigeſimo octauo in Hiſpania in ſexto Toletano Concilio decretum fuit, vt *quiſquis ſuccedentium temporum Regni apicem ſortiretur, non ante Re-* *Reſponſio.*

*giam ſedem conſcenderet, quàm inter reliqua conditionum Sacramenta polliceretur, nullum ſe non Catholicum permiſſurum in Regno ſuo degere. Si verò poſtquam ad Regni guberna- cula acceßiſſet, huius ipſe temerator exiſteret promißi, eſſet anathema in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni.* Suo itaque Iuramento Reges obligantur non aliam, quàm Catholicam, in Regnis ſuis Religionem retinere conſeruareque. Id ſolemni Iureiurando, cùm inaugurantur, promittunt, nec in Hiſpania tantùm, ſed in alijs quoque Ditionibus ſuis. Et verò quis arguere Reges & Principes præſumat, ſi quam à Maioribus acceperunt, & in Regnis ſuis, cùm diademate condecorarentur, inuenerunt Religionem, conſeruent ac tueantur? Si eam, quæ à ſexdecim iam & ampliùs ſæculis vniuerſali vnitate colitur, ab omnique confuſione ſeparata eſt, retineri à ſubditis ſuis velint? Aliter facere ſaluâ fide & integro Iureiurando non poſſunt. Quanquam quid aliud eſt Religiones plures habere, quàm nullam omninò Religionem habere? Quid aliud eſt Religionis libertatem permittere, quàm tot eſſe Religiones,

Digitized by Google

nes, quot capita ſunt, iubere? Sentiet hic hoc modo, alius alio; ille ritum hunc ſibi finget, iſte planè diuerſum. Et hinc odia, inimicitiæ, alienationes animorum, nulla priuata, nulla publica pax. Non minus in Republica Religio vna eſſe debet, quàm vna lex. Nimirum vt vno modo mores formentur, vno modo ſalus quæratur. Sed hanc controuerſiam, vt dixi, hîc non attingo. Verè Mæcenas ad Auguſtum, *Eos, qui in diuinis aliquid innouant, odio habe & coërce, non Deorum ſolùm cauſâ, ſed quia noua Numina hi introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum, vnde coniurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibiles Principatui.* Magnum ſanè Dei beneficium eſt, in tot Catholici Regis Prouincijs Religionem vnam, eamque Romanam & Apoſtolicam coli, quam non nuper aliquis exuto cucullo, aut ſtigmate deformatus excogitauit, ſed quam orbis Seruator præſcripſit, primi Antiſtites tradiderunt, Martyres ſuo ſanguine irrigârunt, tot Doctores ſanctiſſimi victuris æternùm monumentis aſſeruerunt, Eccleſia Catholica ſectarum alienarum victrix, hactenus conſeruauit. Scit ta-

 men

Digitized by Google

men idem Rex in tempora inſpiciendum eſſe, vt ſi quæ Prouincia Romanæ fidei dogmatibus non imbuta ad eius Imperium accedat, immaturam non adhibeat medicinam, ſed duci docerique nouos ſubditos patiatur. Quippe nocet remedium, ſi non ſit opportunum; & quæ herba altas radices egit, citiùs frangitur, quàm euellatur, niſi radices fodiendo circum paulatim extrahas. *Non perinde animis imperari poteſt ac linguis*, vt ait Curtius. Porrò ea eſt Regiarum Prouinciarum in auita Religione conſtantia, vt aliam, præter Catholicam, nunquàm admiſſuræ videantur. Sciunt Religionem non nouitate, ſed antiquitate æſtimandam eſſe, nec plus turbulentis quorundam ingenijs, quàm conſentientium tot ſæculorum opinioni tribuendum eſſe. Quòcunque inciderint oculi, tot & tam illuſtria vident eius Religionis ſigna, quam Patres Maioreſque tenuerunt, vt ab ea recedere velle nefandæ ſit impietatis, & periculoſæ temeritatis. Sentiunt liberè de Deo, ſed ſicut Maiores; credunt liberè, ſed ſicut Eccleſia à Chriſto inſtituta & ab Apoſtolis propagata tradit, nec aliter volunt.

*Obiectio II.* At verò, quis illam, aiunt, Hiſpanorum inſolentiam

ſolentiam ferat? quis arrogantiam & faſtum patiatur? quis ſæuitiam æquo animo toleret? ſeruire eſt, non ſubeſſe, tam crudeliter aliquando tractari, expilari, trucidari. Nec exempla deſunt, quæ narrantur, vt pueri diſcant; ſcribuntur, vt poſteri legant.

*De Inſolentia Hiſpanorum.*

Non ignoro hæc à varijs ſcribi, & ſupra fidem amplificari, qui odio ſuo indulgentes, ne nomen quidem Hiſpanorum ferunt. Neque ego in omnibus eos excuſo; ſunt inter eos mali, inſolentes, faſtuoſi, & quandoque ſeueriores, quàm par eſſet. In Indijs, in Italia, in Belgio quidam eorum modum exceſſerunt ſeu vitio naturæ, ſeu inſolentiâ victoriæ, ſeu irâ indignationeque perciti. Quis verò non idem de nationibus alijs aſſeueret? Quis gentem vllam in bello excuſet? Quis Ducum militiæ diſciplinam ita ſeruauit, vt nemini milites nocuerint? Seueræ militibus olim fixæ ſunt leges, & nunc figuntur; nec tamen vlla in Prouincia ſunt innocentes. Vbicumque milites ſunt, ibi vitia ſunt, furta, rapinæ, concuſſiones; non omnium quidem, ſed tamen aliquorum. Adeò quod in Hiſpanis reprehenditur, faciunt Galli, Germani, Itali, Belgæ, alij. Licentiâ

*Reſponſio.*

quâdam peccant milites,& dum arma tenent, dum venalem pro patria vitam circumferunt, licere ſibi omnia putant. Error ille eſt, ſed militum. Quandoque etiam neceſſitas, quò non deberent, impellit, & nonnunquam cauſæ ſuæ Iuſtitiâ excitati, vindictam ſpirant & ſumunt, quam Ducibus ſuis relinquere deberent. Taceo diuinam Iuſtitiam, quæ non raró militum manu & ferro ad Gentium quarundam animaduerſionem vtitur. Quanquam, vt hoc tantùm dicam, modum in bello, ac potiſſimùm ciuili, tenere vix cuiuſpiam eſt Ducis; inter arma militum manibus & gladijs legem ponere, vix eſt ipſius ſeueritatis. Vnum auaritia trahit, alium innata ſæuitia impellit, nec omnes ſemper aliorum ſupplicijs emendantur. Quis eſt, qui vitia militum Regibus adſcribet? quis ob quorundam Præfectorum crudelitatem Principes Tyrannidis arguet? Imprudentium eſt, vel potiùs maledicorum, ſi Dux quiſpiam aut miles ſæuitiâ peccet, Regem eius quamprimum Tyrannum appellare. Miror autem tam diligentes quoſdam in Hiſpanorum delictis conquirendis eſſe, & in ijſdem exaggerandis tam Eloquentes, de Nationum

aliarum

Digitized by Google

aliarum vitijs tacere. Secludatur ex animis odium aut inuidia, & omnes peccabunt. Soli hoc tempore crudeles ſunt Hiſpani, quia in odio quorundam ſunt; ſoli ambitioſi & inſolentes ſunt Hiſpani, quia illos quidam non ferunt. Tenuerunt olim Siciliam annis circiter ſeptemdecim Franci, tantillo tempore eorum vitia ferre Siculi non potuerunt, illos eiecerunt & exterminârunt. Annis iam pluſquam centum Sicilia, Neapolis, Mediolanum Hiſpanorum Imperio parent, & ſummâ hactenus tranquillitate fruuntur. Imò ea Italorum omnium vox eſt, malle ſe Hiſpanorum, quàm Francorum Imperio ſubeſſe. Quid, quod etiam ſeu recipienda ſint in vrbibus præſidia, ſeu hoſpitia militibus in vicis & municipijs præbenda, malint incolæ omnes non vno loco Hiſpanos, quàm nationis alterius habere? Non ſunt illi in Belgio, quemadmodum vir quidam celeberrimi nominis ait, *Vt Belgarum ſanguinem ſecuri digerant, quem nondum concoxerunt*, ſed vt vitam & ſanguinem ſuum pro eorum incolumitate profundant, & in auita Catholicaque Religione conſeruent: non vt illos *in ſeruitute adhuc inuitos teneant*, vt idem ſcribit,

*Daniel Heinſius in Panegyrico Regis Sueciæ.*

Digitized by Google

ſcribit, ſed in Regis & Principis ſui legitimi obedientia protegant. Adeò non eſt opus, vt Catholicis *Belgis etiam inuitis ac nolentibus minari libertatem Sueci videantur*; ijs ſub optimo Principe ſuo libertas eſt, nec eſſe ab alijs niſi ſeruitus poteſt. Quæ tanta inuidia eſt, vt Regi ſuo populi obediant, pati non poſſe? vt Deo Maiorum ritu ſeruiant, non ferre? Si ſectariorum conatibus Hiſpani non reſiſterent, ab ijs laudarentur; ſi Catholicam Religionem non armis & ſanguine ſuo propugnarent, in fœdus vocarentur & amici eſſent. Homines ſunt, & placere poſſunt, ſed eorum Religio non placet, & pro conſeruanda Religione labor. Inuidiæ tempeſtatem non nationis, ſed Religionis causâ, ſuſtinent. Iudex ſit & vindex Deus.

*Obiectio III. De officijs Hiſpanorum in Belgio.* Non vna eſt odij in Hiſpanos cauſa. Sint boni, inquiunt, ſint probi, at officia Reipublicæ inuadunt & excluſis Indigenis in Belgio regunt. *Peregrinos autem ciuibus præferre, ad menſam vocare, Reipublicæ cuſtodes efficere Tyrannorum eſt, non Regum*, vt ait Ariſtoteles lib. 5. Politicorum.

*Reſponſio.* Vereor ne Soli lumen addere velle videar, ſi quod

Digitized by Google

quod obijcitur falſum eſſe demonſtrem. Obſecro enim, quænam Reipublicæ Belgicæ officia Hiſpani tandem inuadunt? Singulæ Prouinciæ, quæ Regis Catholici Maieſtatem & Imperium agnoſcunt, ſuos è Belgio Rectores ac Præfectos habent. In ijſdem Concilia ſunt & Cœtus Iudicum, qui Regiâ authoritate Ius dicunt & prouincialium controuerſias liteſque determinant; at in ijs nulli Hiſpani. Belgæ ſunt, qui Belgis Iuſtitiam adminiſtrant. Vrbes omnes aut à ſuis Magiſtratibus, qui indigenæ ſunt, aut ab aliquo cum ijſdem Præfecto vel Prætore gubernantur. Et hic quoque indigena ſemper eſt. Si quis cum præſidio fortaſſis Hiſpanus ſit, ad vrbis defenſionem eſt; nec vt incolas regat, ſed vt hoſtes arceat, militibus præſit, vrbem tueatur. Eſt Mechliniæ ſupremum Belgij tribunal, ad quod vltima ex Prouincijs prouocatio defertur; in illud non niſi Belgæ cooptantur. Sunt & Bruxellis in vrbe Regiâ Concilia duo, Secretius vnum, quod Priuatum appellant; alterum Regij Ærarij, quod Finantiarum dicitur. Nulli in his Hiſpani, nec vnquam fuerunt. Minora alia non attingo, ad quæ aditus ijs tantùm, qui è patria ſunt, patet. Iſtud verò

Ee notiſſi-

notiſſimum eſt, ſingularum Prouinciarum Ordines ex earum Antiſtitibus Eccleſiaſticis, Primarijs Nobilibus, & Ciuitatum Primoribus componi. Quod ſi inter Aulæ miniſteria locus aliquis Hiſpanis ſit, aut in exercitu Regio pro meritis ſuis militaria quædam officia conſequantur, inuidere nemo certè debet. Neque enim nefas eſſe poteſt, eos aut in Aula, aut in Caſtris Regi ſuo ſeruire, eique obſequium & vitam ſuam conſecrare. Et quemadmodum inter eos non deſunt, qui & fortitudine præſtant, & prudentiâ ſunt illuſtres, mirum videri nequaquam debet, ſi in Belli aut Status Concilio ſuffragij Ius obtineant, vt cùm eiuſdem Regis Imperium nobiſcum agnoſcant, illius quoque nobiſcum in bello negotia tractent, & de conſeruanda patriæ tranquillitate ſecuritateque deliberent. Hoc dico, nullius Belgæ virtus ſuo honore deſtituitur, & quod meritis debetur, nunquam fortunæ vel auro donatur. Quippe in Catholici Regis Imperio nulla Magiſtratuum vel officiorum nundinatio eſt. Nihil apud eum venale, nec ipſe poteſtatum mercatores patitur. Virtute venalia omnia ſunt, non pecuniâ. Quantum quiſque vir-

tutis

Digitized by Google

tutis & induſtriæ habet, tantundem fauoris reperit. Qualis quiſpiam ſit quæritur, non quantum poſſideat vel offerat.

## CAPVT XV.

### *De Bonorum Eccleſiaſticorum ab Hæreticis occupatorum in Germania Repetitione.*

ARſiſſe bellis hoc tempore Germaniam omnes ſciunt, boni dolent. Nobiliſſima illa Europæ Prouincia olim inuicta & Legionum Romanarum victrix, hactenus magna & meliore ſui parte non tam alienis, quàm ſuis viribus quaſſata iacuit, & vix reſpirat. Signum extulerunt Principes Proteſtantes, ſecutus eſt Guſtavus Sueciæ Rex, & iunctis armis opibuſque, dum Cæſareæ potentiæ & Auſtriacæ Gentis imminutio quæritur, mediam Germaniam oppreſſerunt. Accurrit ad fœdus & victoriam Gallus, vtque prædæ partem haberet, conſilium, viros, pecuniam iunxit. Patroni nomen ſumpſit, ne hoſtis videretur; fœdus percuſſit, vt ſocius eſſet; libertatis Germaniæ protectorem ſe prætexuit, vt Dominatum, aliquâ ſaltem in parte, vſurparet. Sunt equidem

merita Galli in Eccleſiam præclariſſima, ſed alibi; & nefas eſſet de animo eius verè Chriſtiano dubitare, ſed in partes Proteſtantium Sectariorum æmulatio pertraxit. Placuit enim Suecum in Germania creſcere, vt Auſtriaci decreſcerent; placuit Hæreticorum armis arma iungere, vt Cæſarea authoritas vel langueret, vel deficeret. Cætera taceo. Tanti tamque funeſti belli cauſa, vt aiunt, bonorum Eccleſiaſticorum repetitio fuit, & Hæreticorum oppreſſio. Bona enim illa, quæ Eccleſiæ Catholicæ ſunt ab Hæreticis occupata, Cæſar Ferdinandus II. repetijt, ea reſtituere Proteſtantes Principes negârunt. Inde bellum, inde euocatus ex Septētrione Guſtavus cum Finnis & Lappis ſuis, vt manum, arma, felicitatem vindex præberet, & Germaniæ libertatem aſſereret. Nam etiam hanc opprimi à Cæſare confingebant. Fuit Regi iſti armorum velut curſus quidam; & in curſu non difficilis victoria dedentibus ſe vltrò vrbibus, quæ fauebant, & poſt ſuperatum Tillium, etiam quæ non fauebant. Tantum terror iniectus potuit, & nullum in procinctu auxilium. Quorundam diffidentia victoriam iuuit; & fortè etiam corrupta aut

decepta

Digitized by Google

decepta nonnullorum fides, maluit iugum accipere, quàm cum Principatus dignitate reſiſtere, vel cum gloria cadere. Afflabantur è vicinia animi, & iugum ſub oblato auxilio occultabatur. Interim vindex ille Guſtavus occubuit vindice maiore Deo; reliquiæ aliquæ reſtant & affligunt, inque Proteſtantium & Hæreticorum nonnullorum manibus adhuc ſunt arma. Illuceſcet, vt ſpes eſt, ille dies, quo miſertus afflictiſſimæ Germaniæ Deus Cæſareis Aquilis, & Catholicorum armis victoriam integram annuet. Vna Auſtriaca Gens hoc bello petita eſt, cuius ſceptra cùm in manu Regis Regum ſint, non illa Hæreticorum iſtorum aut Fœderatorum vis euertet. Pugnat Sereniſſima illa Gens pro Deo, & cum Deo vincet. Verùm, vt quod inſtitutum eſt, proſequamur, expendendum & diſcutiendum hîc, *quo Iure Eccleſiaſticorum bona à Sectarÿs occupata repetierit Cæſar, ac reſtitui voluerit.* Item, *num potuerit ac debuerit Catholicam Religionem è quibuſdam Prouincÿs eiectam reducere.*

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum

quinquageſimo ſecundo, cùm Germania ciuili bello flagraret, vt tantum incendium pace reſtingueretur, indictus eſt Principum Conuentus Paſſauij, quæ vrbs ad Danubij & Oeni confluentem eſt ſita. Eò venêre Romanorum Rex Ferdinandus cum filio Maximiliano, Mauritius Saxoniæ Elector cum ſuis, Albertus Bauariæ Dux, plurium denique Principum aliorum Legati. Conſultatum aliquamdiu inter eos de pace, quæ tandem certis concepta legibus eſt. Eæ potiſſimum fuerunt.

*Pax Paſſauienſis.*

*Ex Sleidano lib. 24*

*I. Elector Saxoniæ Fœderatique Principes ante diem duodecimum Auguſti ab armis diſcedent, & copias ita dimittent, vt Ferdinando militent, ſi velit, neque vel Cæſari, vel Germaniæ noceant.*

*II. Ad eum quoque diem Philippus Landgrauius Haßiæ liber factus, in ſua, quam habet ad Rhenum Arce, Rhinfeldia, ſiſtetur, poſitâ prius cautione de ſeruandis conditionibus Halæ Saxonum à Cæſare latis. Quam in rem Mauritius, Brandeburgicuſq; Septemuiri ac VVolfgangus Biponti Dux fidem interponent.*

*III. Heßi cum Naſſouio de Catzenellebogica*

*gica Prouincia litem Germaniæ Principes Septemuiri, quoſque actor reuſque præterea nominabunt, cognoſcent; ex his verò Cæſar iudices ſex leget, qui biennij ſpatio litem finiant.*

*IV. Poſt ſextum menſem indictis à Cæſare Comitijs de Religionis pace agetur; Pacem interea omnes colent, & propter Religionem nulla cuique moleſtia exhibebitur. Quod autem de pacando Religionis diſsidio communi Ordinum conſilio, & interueniente Cæſaris authoritate decretum fuerit, id firmum ratumque erit.*

*V. Ad Cameræ Imperialis iudicium Senatumq́, etiam ij, qui Auguſtanæ Confeſsionis ſunt, admittentur.*

*VI. Ottoni Henrico Palatino ſuæ Regionis Dominium liberaque poſſeſsio permittetur.*

*VII. Fœderati Principes fœderi inter ſe, durante hoc bello, facto, Franciçoque renuntiabunt, & omni ſoluti vinculo ſui Iuris, vt antea, erunt.*

*VIII. Qui hoc bello damnum acceperunt, litem ea de cauſa ijs, qui intulerunt, non mouebunt, ſed proximis Comitijs Cæſar & Ordines rationem habebunt.*

*IX. Fran-*

Digitized by Google

*IX. Francorum Rex, quoniam ad eum Imperij res non pertinent, ſi qua in re ſe lædi à Cæſare exiſtimet, negotium ad Septemuirum Mauritium deferet, & is ad Cæſarem.*

*X. Proſcripti in gratiam recipientur, modò nihil noui contra Cæſarem aut Imperium poſt hàc committant. Franco militantes in gratiam etiam recipientur, modò intra tres menſes eo deſerto in Germaniam reuertantur.*

*XI. Albertus Brandeburgicus, ſi ab armis ante diem duodecimum Auguſti dimiſſis copijs diſcedat, hâc pace comprehendatur.*

*XII. Qui has pacis leges violârit, hoſtis Imperij ſit.*

Ea pax iniquis ſanè legibus pro Catholicis conſtituta tum fuit. Gallus ægrè illam ferebat, ſed cùm impedire non poſſet, obſides Germanis remiſit, & interea Metas, Tullum, Virdunum, nobiliſſimos tres Epiſcopatus, Imperio detractos retinuit. Saxo Religionis libertatem & bona Eccleſiaſticis ante hanc pacem ablata rebellioniſque impunitatem obtinebat. Albertus Brandeburgicus inter alios ſolus pacem reſpuit, vt nimirum Epiſcopos & ciuitates inſtaurato exercitu vexaret. Tandem triennio

pòſt,

Digitized by Google

pòſt, hoc eſt anno M.D.LV. indictis Auguſtæ Vindelicorum comitijs de pace Religionis deliberatum, & in hunc modum ſeptimo Calendas Octobris decretum eſt publicatum.

Pax Auguſtana Religionis

*I. Cæſar, Ferdinandus Rex, Electores Principes, & cæteri Ordines, propter Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam, Religionem, atque fidem, nulli in Imperio vim inferent, neque ad deſerendam Religionem ſuam, cæremonias atque leges, quas in ſua Ditione vel iam inſtituerunt, vel poſthac inſtituent Confeſſionis Auguſtanæ ſocij, mandatis aut aliâ ratione cogent, néve contemnent etiam, ſed hanc Religionem illis liberam permittent, ſimulque bona, facultates, vectigalia, poſſeſſiones atque Iura, ſic vt pacatè poſſint ijs vti fruique. Diſſidium quoque Religionis non alijs, quàm pijs, amicis, & tranquillis rationibus component.*

Ex Sleidano lib. 26 Dauide Chytræo & alijs.

*II. Eodem modo Status Confeſſionis Auguſtanæ ſeſe gerent erga Cæſarem, Ferdinandum Regem, cæteroſque Principes ac Ordines antiquæ Religioni coniunctos, tam ſacros, quàm ciuiles; erga cæteros omnes Eccleſiaſtici Status, eorumq́ Collegia, quòcunque tandem illi migrârint habitandi cauſâ. His omnibus*


*& Reli-*

Digitized by Google

*& Religionem ſuam, & cæremonias, & leges, & poſſeßiones, & vectigalia cæteraque Iura liberè permittent, neque ullâ ratione impedient, quò minus illis pacatè utantur fruanturque; & quicquid erit offenſionis atque litis, more ac legibus Imperij definietur utrobique.*

*III. Qui non ſunt alterius Religionis, Catholicæ vel Auguſtanæ, hâc pace non comprehendentur.*

*IV. Si quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Antiſtes, aut alius Ordinis Eccleſiaſtici à Religione veteri deficiet, is continuò decedat ab Epiſcopatu ſuo, Præfectura, beneficio, ſimul omnibus etiam fructibus, quos inde percepit; quod ipſum tamen ad nullam eius infamiam pertinebit: Et Collegio ſine ijs, ad quos ea res Iure vel conſuetudine pertinet, liceat & integrum ſit in eius locum eligere ſeu conſtituere alium, qui ſit veteris Religionis; quo nimirum inſtitutionis, electionis, præſentationis, confirmationis, & id genus alia Iura ſimul cum tranquilla poſſeßione bonorum integra illis permaneant.*

*V. Et quia nonnulli Ordines Imperij, eorumque*

*rumque Maiores quaſdam Præfecturas Eccleſiaſticas, Collegia Monachorum, & id genus alia bona ſacra ſibi ſumpſerunt, eaq́ miniſterijs Eccleſiæ, Scholis, & alijs bonis vſibus accommodârunt, non interpellabuntur hoc nomine, nec in Ius propterea vocabuntur, ſed eiuſmodi bona, nimirum ea, quæ non pertinent ad Ordines Imperij, vel alios Imperio planè ſubiectos, & quorum poſſeſsionem tempore tranſactionis Paſſauienſis, & pòſt etiam, Eccleſiaſtici non habuerunt, ſuo loco permaneant, & hâc pace comprehendantur.*

*VI. Iuriſdictio ſacra non exerceatur, neque locum habeat aduerſus Auguſtanæ Confeſsionis Religionem, fidem, ritus, leges, miniſterium Eccleſiaſticum, ſed ſuſpenſa maneat, nec vllum illis impedimentum inferat, quoad integrè ſublatum erit diſsidium. In cæteris autem extra Religionem, cæremonias, leges, ac miniſterium poſitis, valeat & exerceatur pro veteri more atque Iure.*

*VII. Nulli aliorum ſubditos ad ſuæ Religionis profeſsionem cogent, vel à priori Domino abducent, nec in tutelam contra ſuum Magiſtratum ſuſcipient. Sin ſubditi Religionis*

 *cauſâ*

Digitized by Google

*cauſâ cum vxoribus ſuis & liberis volent in alia loca habitatum concedere, & bona ſua vendere, impunè licebit.*

*VIII. Eâdem pace libera Nobilitas immediatè Cæſari ſubiecta comprehendatur, ita vt nec ipſa duarum Religionum cauſâ à quopiam poßit oppugnari. Vbi verò in Ciuitatibus Imperij vtraque Religio hactenus vſitata fuit, deinceps etiam conſeruetur.*

Has leges eâ pace conſtitutas, etſi ijs grauiſſimè Catholici læderentur, boni tamen publici causâ hactenus ſeruârunt; non item Proteſtantes & Sectarij. Hi enim, vt teſtis eſt Dauid Chytræus Auguſtanæ Confeſſionis hiſtoricus, aliquot annis pòſt in Epiſcopatus & Catholicorum Eccleſiaſticorum bona inuolârunt. Et quidem, inquit, *Anno M.D.LXIV. in Saxonia vtriuſque Electoris Saxonici & Brandeburgici Imperio ſubiectorum Epiſcoporum reditus deinceps in Principum Fiſcos redacti ſunt, corporibus tamen Collegiorum ſeruatis; & inſpectione Eccleſiaſticâ ſuperintendenti & Conſiſtorijs commendatâ.*

Dauid Chytræus.

Magdeburgenſem Archiepiſcopatum Lutherani anno M. D. LXVI. inuaſerunt. Bremenſem

menſem anno vno poſt Henricus Saxoniæ Dux Lutheranus occupauit. Brandeburgenſem Epiſcopatum anno M. D. LXIII. ipſe Marchio accepit; item Hauelbergenſem, & Lebuſienſem. Sleſiucenſem Dioceſin, cùm fatis conceſſiſſet Adolphus Epiſcopus Holſatiæ Dux anno M. D. LXXXVI. Fredericus Secundus Daniæ Rex ſibi aſſerens, ſucceſſoribus ſuis hæreditariam reliquit. Caminenſis Epiſcopatus mortuo Martino Weigero anno M. D. LXVI. Pomeraniæ Principibus ceſſit. Dioceſin Raceburgenſem, quæ inter Catholicas numerabatur, anno M. D. LXVI. Chriſtophorus Megapolitanus Dux ad Lutheranos tranſtulit. Lubecenſis Eccleſiæ, cui Theodoricus à Rheiden Catholicus præfuerat, curam ſuſcepit Andreas Barbius Daniæ Cancellarius & Lutheranus, Rege eum commendante & promouente, Halberſtadienſem Dioceſin, quæ in fide Catholica diutiſſimè conſtans permanſerat, tandem Henricus Iulius poſtulatus Dux Brunſuicenſis Sectarijs adſcripſit. De cæteris taceo, quorum numerum ac ſeriem videre qui volet, Dauidem Chytræum conſulat. Porrò eorum, qui poſt initam Paſſauij pacem Eccleſiaſticorum bona

 occupâ-

Digitized by Google

occupârunt, primi Brunſwicenſes extiterunt, qui mortuo Henrico Iuniore Principe Catholiciſſimo anno M. D. LXVIII. patriam vniuerſam ad amplectenda Lutheri dogmata coëgerunt, Cœnobijs non Religioſos viros aut Eccleſiaſticos præfecerunt, ac paulatim deficientibus Religioſæ vitæ Sacramento adſtrictis bona ad vſus alios tranſtulerunt. Eorum exemplum alij ſecuti ſunt Principes, Comites, Toparchæ, eaque Cœnobia, Collegia, & Sacerdotia, quæ Catholicis poſt Auguſtana Comitia reſtabant, ſucceſſoribus paulatim excluſis, tandem extinxerunt, ac ſibi ſuiſque bona illorum aſſeruerunt. In ſola Saxonia viginti propemodum Principatus Eccleſiaſticis erepti ſunt, & in ijs Collegia, Monaſteria, Sacerdotia pluſquam trecenta, in quorum omnium tranquillâ poſſeſſione poſt initam Paſſauij pacem Catholici degebant.

*Ius Cæſareum ad repetenda bona Eccleſiaſtica*

His ita ſummâ veritate expoſitis, vt ad illud Cæſareum Ius, de quo hîc inquirimus, accedamus, cum Paſſauienſis & Auguſtana Pax rata ſacroſanctaque in Imperio eſſe debeat, vt ipſi Auguſtanæ Confeſſionis Principes confitentur, atque ea fœderis naturam induerit, ac

Iuris

Digitized by Google

Iuris, vt loquuntur, ſtricti ſit contractus, dubium eſſe non poteſt, quin ſummo optimoque Iure Ferdinandus Secundus Imperator ea omnia Eccleſiaſticorum bona repetere potuerit, quæ hoc initæ pacis contractu in Prouincijs Sectariorum ad Catholicos ſpectare dignoſcuntur. Ea verò triplicia ſunt. Inprimis *quæ pertinent ad Ordines Imperij*, vt ſunt Epiſcopatus omnes, Abbatiæ & Prælaturæ, quæ in Imperij matriculam, vt vocant, referuntur. Deinde *quæ in alios, quàm pios vſus ſunt trãſlata. Tum ea omnia, quorum poſſeßionem Paſſauienſis & Auguſtanæ Pacis tempore Catholici retinebant*. Cautum enim fœderum iſtorum legibus fuit, *vt Auguſtanæ Confeßionis Ordines Catholicis poſſeßiones ſuas, vectigalia, cæteraque Iura liberè permitterent, neque vllâ ratione impedirent, quò minùs illis pacatè vterentur fruerenturque*. Ex quibus duo colligere licet, vnum, eos omnes, qui bona ad Imperij Ordines pertinentia ante Paſſauienſe fœdus occupârunt, aut alia poſt Auguſtanum contractum arripuerunt, ad eorum reſtitutionem teneri compellique debere; alterum, Iure Cæſarem cùm ſupremus Iuſtitiæ adminiſtra-

miniſtrator ſit & Eccleſiæ Patronus, repetere ea bona omninò poſſe & debere. Nemo non tanti Iuris rationem videt. Quippe ſi pace conſtitutâ retinere Eccleſiaſtici bona, quæ tum habebant, potuerunt, ea ipſis adimere ſine grauiſſimo ſcelere & iniuſtitia nemo certè potuit. Cùm aliter tamen factum ſit, ac in omnibus ferè Sectariorum Prouincijs contra fœderis Auguſtani leges bonis ſuis ſpoliati ſint, non aliquo Iure, quod eſſe cum iniquitate non poteſt, ſed ſummâ vi, an non Cæſaris eſt ſpoliatos & de bonorum ſuorum poſſeſſione deturbatos ſupremâ Imperij authoritate reſtituere? Nimirum hæc eſt funeſtiſſimi belli cauſa. Spoliatos per iniuriam reducere ſua in bona Cæſar cupit, an non poteſt? Quæ Sectarij per vim Eccleſiaſticis abſtulerunt, repetit Cæſar, an non debet? Si non poteſt, ſi non debet, fatendum eſt non iuſtitiam in Imperio, ſed vim & iniuriam valere, ac deinde etiam raptoribus, publicis graſſatoribus, prædonibus, iniuſtiſque detentoribus concedendam impunitatem eſſe. Si, inquam, nec poteſt, nec debet, ſine viribus eſt Paſſauienſe fœdus, & ridicula Religionis pax Auguſtæ conſtituta, quam tamen Cæſar, Rex,

Principes

Principes Electores, & cæteri Imperij Ordines ſuo Iuramento ac authoritate ratam eſſe iuſſerunt. Neque bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores Sectarij tueri ſe temporis diuturnitate ſeu præſcriptione poſſunt, cùm fide bonâ deſtituantur, ac ſolo violentiæ titulo poſſideant. Defendere poſſeſſionem ſuam ſi velint, opus eſt, vt ex legibus Auguſtanæ pacis aut Paſſauienſis Priuilegium oſtendant. Potiſſimùm cùm *Pacem illam Religionis* Germani Scriptores *fulcrum & firmiſſimum tranquillitatis publicæ munimentum*, imò, *Germaniæ Palladium* appellent, aſſerantque *per eam octoginta propemodum annis ſacroſanctam Imperij Maieſtatem venuſtiſſimè floruiſſe.*

Quanquam non alia mens inuictiſſimi Cæſaris Ferdinandi Secundi hactenus eſt, quàm vt conſtituta Religionis pax in Imperio ſeruetur. Atque idcircò anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo nono, die ſextâ Martij Viennæ publico Cæſareæ poteſtatis Edicto mandauit, vt Principes, Toparchæ, atque vrbes Imperiales, quæ vel Confeſſionem Auguſtanam, vel aliam diuerſam à Catholica veterique Religione ſectam profitentur, ea omnia

*Edictum Cæſareũ de bonis Eccleſiaſticis reſtituendis*

Eccleſiaſtica bona reſtituant, quæ ad Ordines Imperij pertinent; atque ea etiam, quorum poſſeſſionem poſt initam Paſſauij & Auguſtæ pacem Catholici retinebant; ſiue illa in Ditionibus ſuis ſita Proteſtantes Dominijs ſuis adiunxerint, ſiue in vſus alios conuerterint. Quod nimirum nullo Iure Principes Proteſtantes bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ſolius Dei ſunt & Eccleſiæ, fundationem ſubuertere poſſint. Ac præterea quod pacis Auguſtanæ legibus cautum ſit, vt ſi quis ab Epiſcopatu, Præfectura, vel alio Sacerdotio decedat, liceat atque integrum ſit ijs, ad quos ea res Iure vel conſuetudine ſpectat, alium eligere conſtituereque, qui veteris ſit Religionis; hocque modo Iura inſtitutionis, electionis, præſentationis, confirmationis, & id genus alia cum tranquilla ſimul bonorum poſſeſſione integra illis illibataque permaneant.

*Iuramentum à Cæſare præſtitum.* Ad hoc Edictum promulgandum Iureiurando ſe aſtringi, quod Septemuiri ab eo, cùm Imperium ſuſciperet, exegerunt, & quod in eorum manibus conſuetâ formulâ præſtitit. Fore nimirum, vt conſtitutam in Imperio Religionis pacem, & quicquid eiuſdem legibus contine-

Digitized by Google

continetur, citra vllam exceptionem, ſeruaret, nec ei detrahi aliquid, aut in ea quicquam immutari permitteret. Quod profectò Iuſiurandum nunquam ab eo Principes Electores exegiſſent, ſi Cæſaream Maieſtatem illo teneri obſtringique non exiſtimauiſſent. Eandem fuiſſe mentem aliorum glorioſæ memoriæ Cæſarum prædeceſſorum ſuorum Matthiæ, Rodolphi Secundi, Maximiliani Secundi, & Ferdinandi Primi, qui, quia eiuſdem Iuriſiurandi Religione tenebantur, nihil vnquam, quod aduerſus Paſſauienſem vel Auguſtanam pacem eſſet, permittere ſe ſuâ authoritate poſſe putauerunt, etſi non ſemel diuerſæ Proteſtantium querelæ ad eos ſint delatæ. Quippe probè ſciebant, non eſſe Cæſareæ poteſtatis fundamentalem Imperij legem reſcindere, & initum inter Imperatorem Imperijque Principes & Ordines contractum nullo eorum omnium accedente conſenſu ſubuertere. Id non ignorans Dominicus Arumæus volumine ſecundo Diſcurſuum Academicorum, Diſcurſu XII. non dubitat aſſerere Cæſarem, etſi ſummâ abſolutâque vti poteſtate velit, *Religioſam illam Conſtitutionem* abrogare non poſſe, quod

*Teſtimonium Domin. Arumæi.*

non ſolius Imperatoris conſenſu, ſed omnium ſimul Imperij Ordinum ſuffragio ſit ſancita. Addit verò etiam ne tum quidem abrogari totam poſſe, ſi Ordinum conſenſus accedat, atque idcircò, quod non minùs Principibus ſit nefas fundamentalem Imperij legem mutare aut tollere, quàm contra Imperij ſalutem venire. Quod autem idem ait legem illam de conſeruandis Eccleſiaſticorum bonis, etſi Proteſtantium Iureiurando, ſubſcriptione, ſigilloq́ue firmatam, contrariâ iam conſuetudine abrogatam eſſe, quid aliud eſt, quàm eorum, qui in bona Catholicorum inuolârunt, violentiam probare? quid aliud, inquam, quàm iniuſtis vſurpatoribus fundamentalem Imperij legem euertendi vim tribuere? quàm omnem Iuriſiurandi Religionem contemnere concúlcareq́ue? quàm Septemuiros ſubſannare, qui Cæſares à ſe electos in pacis Auguſtanæ verba iurare volunt? Neque ſanè ea contraria conſuetudo aliud eſt, quàm iniuſta vis, cui qui robur aliquod contra Imperij legem ſupremâ authoritate & Principum Ordinumq́ue ſuffragio ſancitam tribuunt, id agunt, vt Imperij tranquillitatem

euertant,

euertant, & Iuri vim omnem anteponant.

Enimuerò cùm clariſſima ſint omnium Pacis Auguſtanæ legum verba, nec in ijs dubium vllum ſit, ac tantùm ſubtiles aduerſus illa cauillationes adferri poſſint, laborat hîc omnis Sectariorum Scriptorum turba, vt luci fulgentiſſimæ obſcuritatem offundat, aut ſi nimio fulgore perſtringatur, verborum ſignificationem inuertat; aut denique cum hoc in tanta verborum claritate non poſſit, negatum à Proteſtantibus conſenſum ijs, quæ de Eccleſiaſticorum bonis ſunt ſancita, confingat. Quaſi verò non conſentientes iurauerint, aut ſigillis ſuis, quæ nolebant, rata eſſe firmaque iuſſerint.

Sed ingenioſior cæteris quidam, cùm de pace conſtituenda ad Guſtavum Suecum ſcriberet, nouum hoc argumentum eſt commentus. Loca ſacra Cœnobiaque Regalium Feudorum æſtimari pars debent, cur non igitur deficientibus viris ſacris ac Religioſis ad Ditionis, in qua ſunt ſita, Principem tanquam feudorum Dominum deuoluerentur? Hoc argumentum vt confirmet, Honorij & Theodoſij Cæſarum conſtitutionem adducit, quâ *Noua obiectio.*

 iubent

Digitized by Google

iubent omnia loca, quæ ſacris veterum error deputauit, rei ſuæ ſociari. Exemplum etiam Darij, qui Baalitis, cùm eorum abuſum & dolum animaduerteret, cibum abſtulit, & delubra deſtruxit.

*Reſponſio.* Porrò Principes non Ius in res ſacras, ſed inſpectionem habent, nec vt iudicent, ſed vt defendant; adeóque pro arbitrio ſuo de locis ſacris Cœnobijſque, ac multò minùs de Epiſcopatibus, ſtatuere non poſſunt. *Ea, quæ diuina*, inquit Ambroſius Epiſtolâ ad Theodoſium & Valentem, *Imperatoriæ poteſtati non ſunt ſubiecta. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Imperator domum priuati nullo poteſt Iure temerare, domum Dei æſtimat auferendam?* Idcircò magnus ille Otto Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus, cùm Auguſtæ in Comitijs de bonis Eccleſiæ in Hæreticorum poteſtate relinquendis ageretur, memor Iuramenti illius, quo tanquam Epiſcopus & Imperij Princeps defendere Iura Eccleſiæ tenebatur, Chriſtianâ fortitudine, *Potiùs*, ait, *quàm conſentiamus, corpus, vitam, & quicquid in terris habemus, conſtanter derelinquemus; idque coram Deo & toto mundo*

*mundo expreſsè reſeruatum nobis volumus, quod in Iuramenti noſtri vinculo; vt conſtans Chriſtianus, & natus Germanus, vſque ad mortem perſeuerabimus.* Hoc zelo Diui omnes pro tuendis Eccleſiæ Iuribus ſeſe ſemper eius Hoſtibus oppoſuerunt. Quis nunc dicat in Proteſtantium Ditionibus aut viros ſacros templis, aut Religioſos Cœnobijs defuiſſe? Defuerunt ſanè, ſed tunc, cùm eiecti ab ijs eſſent, aut calumnijs iniurijſque in exilium compulſi, aut fortaſſis etiam nonnullis in locis omnes mortui, ac nulli in eorum locum ſuccedere permiſſi. De vi illata taceo, ſat omnibus eſt nota. Indignum verò eſt, loca, quæ ſacris veterum error deputârat, & Eccleſiæ Chriſtianæ templa Cœnobiaque eâdem ratione cenſeri, vt ſi illa Cæſares Idolis eripere ſibique aſſerere potuerint, hæc eodem Iure & exemplo Principes Proteſtantes Catholicis auferre occupareque poſſint, & quidem contra legem iam pridem à ſe Iureiurando ſancitam. Contigit aliquando, Baronio teſte, vt ex Henrici Imperatoris exercitu non pauci ad hoſtes transfugerent. Quod cùm animaduerteret Comes quidam opibus inſignis, Abbatiam Laureshеimenſem cum omni-

Digitized by Google

omnibus prædijs ac vectigalibus ab Imperatore ſibi dari poſtulauit. Præmium hoc conſtantis fidei, ne deſertor fieret, futurum exiſtimabat. At Cæſar, etſi tum ſummis in anguſtijs conſtitutus eſſet, & rebellionis periculum immineret, Comitis petitionem coram vniuerſo populo reiecit, ac nefas eſſe iudicauit, conſignata militantibus Deo Religioſis prædia profano homini addicere tradereque. Quod ſi ille hodie viueret Imperator, quo animo eſſet, aut quid tandem diceret, cùm tot Abbatias, tot Epiſcopatus, tot loca Deo ſacra & Eccleſiæ à pijſſimis hominibus tradita, non peti, ſed per vim à Sectarijs ſummâ Catholicorum iniuriâ, ac contra Imperij legem occupari videret? Verùm vt hinc calamum tollam, id agit Ferdinandus Secundus gloriſiſſimus Imperator, id vult, id molitur Edicto ſuo, vt Conſtituta Religionis pax in Imperio ſeruetur, ac per eam Catholici bonis ſuis fruantur, Proteſtantes, quæ ſua ſunt poſſideant. Id ſummæ æquitatis eſt & Iuſtitiæ, reprehendi proinde nec poteſt, nec debet.

*Altera de Religione quæſtio.* Venio nunc ad alteram de Religione quæſtionem, nec difficile eſt reſpondere. Imperij lex eſt, *vt qui non ſunt alterius Religionis,*

*Catholicæ*

*Catholicæ vel Auguſtanæ, hâc pace non comprehendantur.* Vnde fit, vt in Imperio Catholici, qui veterem Religionem profitentur, & qui Auguſtanæ Confeſſioni, quemadmodum in Comitijs exhibita Carolo Quinto fuit, adhærent, eſſe poſſint. Fatentur ipſi Proteſtantes, & Arumæus alijque Germani Scriptores aſſerunt, duas tantùm Conſtitutione Auguſtanâ Religiones, Catholicam & Auguſtanam, in Imperio receptas, & in Comitijs expreſsè comprobatas fuiſſe; adeóque Caluinianæ Sectæ exercitium conſtitutionis Imperij verbis nequaquam contineri. Volunt tamen ex Imperij tolerantia conniuentiáque, vt aiunt, admitti, etſi non ſine Catholicorum proteſtatione. Aut certè iam in Lutheranorum ſocietatem Caluiniſtas veniſſe, modò à conuitijs, iniurijs, execrationibus abſtineant omninò, idque etiam eſſe cautum. Cùm autem hæc ita ſe habeant, iurauerítque Imperator Ferdinandus Secundus ex recepta formula capitulationis, vt vocant, inprimis Religionem Catholicam ſe defenſurum ac conſeruaturum; deinde legem omnem Imperij, potiſſimùm verò Auream Bullam; Religioſam & publicam

pacem ratam habiturum, Iure poteſt eius Maieſtas ſolos in Imperio Catholicos, & qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, tolerare. Imò ſanè debet, niſi reus ipſe præſtiti Iuramenti, & neglectæ publicæ pacis eſſe velit. Cùm olim Carolus Quintus Imperij diadema Aquiſgrani ſuſciperet, rogauit eum latinâ linguâ Colonienſis Archiepiſcopus, *An fidem Catholicam operibus iuſtis ſeruare? an Eccleſiarum tutor & defenſor eſſe? an Romano denique Pontifici debitam ſubiectionem exhibere vellet?* Quæ omnia Cæſar poſitis ſuper dextrum altaris cornu digitis duobus, conceptis verbis adimpleturum ſe fideliter iurauit. Hoc nimirum eſt Imperatorum Iuſiurandum, nec in eorum poteſtate eſt aliam, quàm veterem Catholicamque in Imperio Religionem permittere, ac cum ea, poſt Auguſtana anni ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimi quinti Comitia, Auguſtanam Confeſſionem. Hanc verò cùm patiatur, quantum conſtituta Religionis pax permittit, Ferdinandus Imperator, non reprehendere Zelum eius Proteſtantes poſſunt, multò minùs hanc ob cauſam ſeditioſo tumultu arma in eum corripere, legem

ſuâ

Digitized by Google

ſuâ authoritate ac conſenſu decretam oppugnare, Germaniæ denique tranquillitatem acceſſitis in auxilium Suecis alijſque perturbare. Quid obſecro, tanto iſto armorum furore volunt? An vt Cæſar Imperij leges ſeruet? Id agit. An vt Religionis libertatem Auguſtanâ pace ſancitam admittat? Admittit. An vt promiſcuam cuiuſcunque ſectæ perſuaſionem in Imperio patiatur? Dum Catholicam tantùm Religionem & Auguſtanam Confeſſionem Imperij lex permittit, non poteſt. An vt eiectam ex nonnullis Proteſtantium Prouincijs Catholicam fidem poſtliminiò non reducat? Debet, & Iureiurando tenetur. Imò etiam ſibi dictum arbitratur illud Leonis Primi Pontificis ad Leonem Imperatorem. *Debes*, inquit, *incunctanter aduertere Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo, & quæ ſunt benè ſtatuta, defendas, & veram pacem, his quæ ſunt turbata, reſtituas.* Illud quoque Celeſtini Pontificis ad Theodoſium Cæſarem, *Maior nobis fidei cauſa eſſe debet, quàm Regni; ampliuſq; pro pace Eccleſiæ Clementia veſtra debet eſſe*

*Hh ij* *ſollicita,*

Digitized by Google

*ſollicita, quàm pro omnium ſecuritate terrarum.* Hæc ſollicitudo omnium Imperatorum Chriſtianorum fuit, & nunc eſt Auguſtiſſimi Ferdinandi Secundi, qui quod olim Marcianus Imperator in Chalcedonenſi Concilio audientibus Epiſcopis omnibus teſtatus eſt, dicere idem affirmareque poteſt, *Vbi primùm diuino Iudicio ad Imperium ſumus electi, inter tantas Reipublicæ neceſſitates nulla nos magis cauſa conſtrinxit, quàm vt orthodoxa & vera fides Chriſtiana, quæ ſancta, atque pura eſt, & indubitata, omnium animis inſideret.* Nimirum, *hoc eſt, quod firmat Imperium; hoc eſt, quod Regna conſeruat. Pax Eccleſiæ & Religionis vnitas, authorem facti in ſublime prouectum gratâ ſibi tranquillitate cuſtodit*, quemadmodum Iuſtino Imperatori Ioannes Pontifex olim dicebat.

Decretum Cæſaris de Religione pace Paſſauienſi permiſſa.

Sicut igitur Ferdinandus Cæſar anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, ſextâ Martij decreuit, *Quod pax Religionis tempore Caroli V. facta ad eos tantùm pertinet, qui antiquiſſimæ Catholicæ Religioni, vel oblata ipſi Carolo immutatæ Confeſſioni Auguſtanæ*

*guſtanæ adhærent*; ita Sectarios illos, qui in Imperium poſtea irrepſerunt, & qui ſub pallio, vt ita dicam, Auguſtanæ Confeſſionis latitantes in Eccleſiam calumnijs debacchantur, atque eam opprimere contendunt, pati omninò non poteſt. Vt non faciat, conſtituta Religionis pax, & Maieſtatis Imperialis obligatio Iureiurando & ex Imperij lege contracta, vt omnibus eſt notiſſimum, ab eodem exigunt. Quanquam vbi nunc eſt Auguſtana illa Confeſſio, quam in Comitijs Carolo Cæſari Proteſtantes obtulerunt? Si Cochlæo credimus, ea octo & viginti articulis tota continebatur, inter quos non pauci erant, quos in controuerſiam Catholici nunquam adduxerunt. Et affirmabant tum ijdem Proteſtantes exhibitò Cæſari libello, nihil omninò ſe occultauiſſe, ſed totum doctrinæ ſuæ genus oblatis articulis iſtis eſſe complexos. Attamen Cochlæi tempore, vt ipſemet confitetur, bis vel ter viginti octo articuli extra primam illam exhibitam Auguſtæ Confeſſionem poterant numerari, atque ij omnes antiquæ Catholicæque Doctrinæ vel maximè repugnantes. Ita nullus errorum & Hæreſum



Digitized by Google

eſt numerus; creſcunt exiguo tempore, & latiſſimè ſeſe diffundunt; nec aliud reſtat, quàm vt Catholicam fidem & Eccleſiam opprimant, atque ipſam Imperij pacem euertant, niſi Cæſarea authoritas latiùs ſerpentes reprimat, & pœnis aut nouorum Sectariorum exterminio latam pro Imperij pace Religionis legem aliquando tandem ſanciat.

Finiam & votum addam. Vtinam conſiderarent Protestantes non aliam euerſionis Imperij Orientalis cauſam extitiſſe, quàm hæreſin, propter quam ad Carolum Magnum & ad Germanos, vt teſtis eſt Eghinartus, tranſlatum Imperium fuit! Videant ac timeant, ne eandem ob cauſam illud amittant, ac diuinam in ſe iram concitent. Quanquam ſub tam pio tamque Chriſtiano Cæſare non niſi diuina benignitas, ſincera pax, & conſtans Ordinum omnium concordia cum Germaniæ tranquillitate aliquando eſt expectanda. Imò iam hoc anno M. DC. XXXV. aliquâ tranquillitate Germania fruitur, & pace inter Ferdinandum & Saxoniæ Ducem conſtitutâ, Maieſtatem eius & Imperij leges, vt antea debebat, veneratur.

*Votum Authoris.*

CAP.

Digitized by Google

## CAPVT XVI.

### *De Bello aduerſus Batavos.*

HOc eſt bellum illud, quo nullum vnquam aut diuturnius, aut acerbius fuit; & quod non Belgas tantùm, ſed vniuerſum Chriſtianum orbem iam ab annis plus minus ſexaginta hactenus exercuit. In eo hinc Rex pro Religione Catholica legitimoque Imperio; inde Fœderati populi pro aſſerenda Hæreſi & vindicanda libertate concurrerunt, nec adhuc eſt finis. Humanarum rerum ſcenam videre hîc licet, & Belgium factum eſt theatrum, in quo perfidia cum fide luctatur, virtutes cum vitijs certant, ſubditi cum Principe & Domino ſuo pugnant, ſectæ nouæ in antiquam auitamque Religionem arma cum ſupercilio attollunt. In illud, tanquam in ſpectaculum gladiatorium, conuerſi totius orbis oculi ſunt, nec hoc ſatis. Veniunt etiam in partes Reges aliqui & Reſpublicæ, integrique populi, quos non iuſtitia cauſæ, vt Batauis auxilia ſuppeditent, mouet, ſed Hiſpanicæ potentiæ metus & inuidia, ne ad legitimum Principem ſuum

*Quale bellum Belgicum.*

*Inuidia auxiliorum cauſa.*

Digitized by Google

ſuum redeant, qui ſumptis armis iugum excuſſerunt. Hæc acceſſio nunc timetur, quæ antea nequaquam timebatur. Quippe nemo Fœderatarum Prouinciarum cauſam probat, quia nemo rebellionem amat; incrementum Auſtriacæ potentiæ in Hiſpano formidabile eſt, vel certè fingitur. Et quanquam negatæ obedientiæ exemplum Monarchis omnibus noceat, imò & Rebuſpublicis, plus tamen inuidia aut æmulatio poteſt, vt opibus & viris iuuentur, quorum ſumpta in Principem legitimum arma defendi Iure non poſſunt. Quæruntur prætextus, cùm cauſæ deſint, & qui peccauerunt ſubditi, Principem ſuum accuſant, quaſi iuſta vnquam eſſe poſſit armorum in Principem cauſa. Interim miſerum Belgium, dum pars vna pro Duce ſuo, altera contra eundem arma diſtringit, diſcordiæ ſuæ pœnas dat, & hæret adhuc, quamdiu victoria nutat, priſtinam ſuam felicitatem ſæpiùs reſpectans. Quanquam deſcribere hoc bellum, quod ſine horrore fieri non poteſt, propoſitum nunc non eſt, nec in acerba tot miſeriarum & calamitatum, quas paſſi ſunt Belgæ, contemplatione hærere; id ago, vt benignitas amorque Regis verè paternus in

*Belgium diſcordiæ dat pœnas.*

Digitized by Google

nus in ſubditos hoc in bello ijs omnibus innoteſcat, qui illi primi ſui patrimonij recuperationem inuident, & verò etiam obſtinatam quarundam Prouinciarum pertinaciam, quantum poſſunt, adiuuant. Cauſas illas procul habeo, quas fingunt, qui nullas habent. Si verum fateri volumus, ambitio Procerum nonnullorum, & Hæreſis, ſeu mutata Maiorum Religio magnam Belgij partem perdiderunt. Hæc eſt omnium Confeſſio, etiam eorum, qui Hiſpano non fauent; ſed perditam malunt, quam illi adiunctam, quia tantam illi Imperij amplitudinem & potentiam inuident. De Iure enim non laborant, & vt auxilia rebellibus ſubminiſtrent, ſatis eſt inuidere. Verùm vt hinc ordiamur, Philippum Secundum Hiſpaniarum Regem ex Burgundica Auſtriacaque Gente ortum Belgij vniuerſi Principem fuiſſe, nec ipſi diffitentur Bataui, qui ſuis illum Comitibus accenſent. Solemni inauguratione, poſt Patris Caroli V. Imperatoris abdicationem reſignationemque, receptus eſt, Sacramentum ipſe Prouincijs Belgicis dixit, & ab ijſdem accepit. Hic cùm anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono in Hiſpaniam, vbi nu-

*Ambitio & Hæreſis cauſa belli.*

*Philippus II. Belgij legitimus Princeps.*



Digitized by Google

tantia ſceptra præſentiam Maieſtatis expoſcebant, reuocaretur, non priùs iter aggreſſus eſt, quàm Prouincias ordinaſſet,& Reipublicæ ſtatum compoſuiſſet firmaſſétque. Margaretam Auſtriacam ſororem ſuam gubernaculo ſummæque rerum cum poteſtate præfecit, vt Familiæ ſplendor Maieſtaſq; venerationem omnibus incuteret, Carolum alioquin filium daturus, ſi per ætatem par Imperio fuiſſet. Prouincias inter Belgij Proceres diuiſit. Brabantiam, præter Imperij ſummam, Margaretæ ſorori, quæ Ducis Parmenſis vxor erat, reliquit; Flandriam & Arteſiam Egmondano tradidit; Hollandiam, Zelandiam, Vltraiectum Auriaco; Friſiam ac Tranſiſlaniam Ioanni de Ligne Comiti Arembergio; Geldriam Zutphaniamque Carolo Brimæo Comiti Meghemo; Luxemburgum Petro Erneſto Comiti Mansfeldio; Hannoniam Ioanni Glimæo Marchioni Bergenſi, cui Valencenarum Arciſque Cameracenſis cura mandabatur; Namurcum Barlaimontio; Inſulas, Duacum & Orchinum Ioanni Montmorantio Corrurij Toparchæ; Tornacum Florentio Montmorantio Baroni Montignæo; Tranſmoſanas Brabantiæ ditiones Ioanni Orien-

*Margareta Auſtriaca Belgij Gubernatrix*

*Prouinciæ inter Proceres diuiſæ.*

ni Orientalis Friſiæ Comiti. Inſuper claſſi, mariq́ue Philippum Montmorantium Comitem Hornanum præpoſuit. Et ne quid ad Belgij ſalutem deeſſe videretur, Concilium Status ad priſtinam formam reuocauit, inq́ue illud Antonium Perenottum Granuellanum Atrebatenſem Epiſcopum, Guilielmum Naſſouium Principem Auriacum, Amorallum Comitem Egmondanum, Philippum à Stauele Glaionij Dominum, Carolum Baronem Barlaimontium, Viglium Ayta Suichemum, cooptauit. Adſciſci etiam quandoque rebus dubijs & arduis reliquos Aurei Velleris Equites, ac ſubinde è Sanctiore Concilio Quæſtorioq́ue nonnullos adiungi, quo deliberatio in perplexitate maturior eſſet, imperauit. Ordinarias equitum turmas, (quæ vulgò Ordinantiæ dicuntur) inter Magnates quoque diſtribuit. *Cõſilium Status.*

Compoſitâ hoc modo, vt credebat, Republicâ, ad firmandum Religionis ſtatum animum adiecit. Iam pridem Franciſcum Sonnium Louanienſis Academiæ Theologum Romam ad Paulum IV. Pontificem legauerat, vt, cùm periculum eſſet, ne hæreſis contagio, infectis iam vicinis Regionibus & ciuitatibus, *Legatio pro obtinendũ noui Epiſcopis.*



Digitized by Google

Belgium quoque corriperet, ſingulis Prouincijs Epiſcopos obtineret. Hoc præſentiſſimum videri remedium, cùm aduerſus inualeſcentem quotidie hæreſim, tum vt partito inter plures Præſules onere faciliùs Religionis & ſacrorum Maieſtas retineretur, Sacerdotes ſub eorum oculis diligentiùs officio ſuo intenderent, vitamque ad Eccleſiæ normam componerent, in omnium denique mores accuratiùs inſpiceretur. Tantus Rex de Religione nunquam ſatis ſecurus eſſe videbatur. Tum verò Ordinum Comitia Gandaui indixit, quò poſtquam ipſe peruenit, & Ordinum conuentum ingreſſus, cauſas ſui è Belgio diſceſſus expoſuit, Catholicam ipſis Religionem, præter alia, inprimis commendauit, & cùm ſine concuſſione Reipublicæ ac Status mutatione inualeſcere Sectariorum perſuaſio non poſſet, vt conſtantes animos in fide auita & obſequio retinerent, vehementer efflagitauit. Exercendas leges eſſe, & pœnas à Sectarijs exigendas, ſi qui ſint; nec diſſimulandum, nec indulgendum. Aliter naſcentem hæreſin non extingui, quàm ſi primi Sectarij puniantur, quorum exemplo alij ſapiant. Idipſum ſupremis, & alijs

*Comitia Ordinum Gandaui.*

Prouin-

Digitized by Google

Prouinciarum Concilijs mandatum. Regis ſermonem Ordines excipiunt, & animos ad Religionem conſtantes, proque Principe firmos promittunt. Vnum ſimul magnâ audaciâ petunt, Alienigenas ſeu externos milites exire Belgio iuberet. Poterat ea postulatio intempeſtiua Principis animum offendere, nulla tamen iracundiæ ſigna oſtendit; quin imò ne vllius querelæ occaſionem relinqueret, ſexto, poſtquam in Hiſpaniam appulit, menſe, externorum omnium præſidia è Belgio in Italiam auocauit; Arces & Ciuitatum gubernacula indigenis ſeu Prouincialibus commiſit. Et iam etiam Gomeſium Figueroam Feriæ Comitem vnà ſecum abduxerat, quem Concilio Status adſcriptum non ſatis æquis oculis aſpici forte intelligebat. Nihil adhuc hactenus, quod in Rege vel ipſa impudentia reprehenderet; Ordinum poſtulationi ſatisfactum; & ornati Præfecturis Proceres erant, eorumque fidei Patriæ regimen ſub Gubernatrice commiſſum. At verò vbi paulò pòſt nouorum Epiſcoporum à Paulo IV. inſtitutionem fama attulit, & deſignatos eorum limites ſedeſque, ac quorundam Monaſte-

*Poſtulatio Ordinum.*

*Dimißio externorum militum.*

*Inſtitutio nouorum Epiſcopatuum.*



Digitized by Google

riorum Præpoſiturarumque (expuncto Abbatum & Præpoſitorum titulo) opes illis adiunctas eſſe, approbante iubenteque Pio IV. qui Paulo ſucceſſerat, intellectum eſt, eam nouitatem rumor aduerſus, & indignatio Procerum excepit. Spargunt in vulgus Regem patriæ Priuilegia infringere, nec poſſe ſine Ordinum conſenſu Sacerdotia augere. Ita ſancitum *Læti Introitus*, vt vocant, legibus, in quas ipſe iurârat. Hoc modo Inquiſitionis atrocitatem induci, libertatem inuadi, pias fundationes interuerti. Res erat haud dubiè ſaluberrima, à multis retrò Principibus agitata, indignum exiſtimantibus alienæ Gentis Epiſcopos è longinquo in Belgas Imperium exercere, nec ſatis in omnium officia intendere. Quippe quatuor tantùm in vniuerſo Belgio Epiſcopi tum erant, Atrebatenſis, Tornacenſis, Vltraiectinus, Cameracenſis, & hi externis Archiepiſcopis, qui non ſatis æqui decretis illorum erant, ſubijciebantur. Sed Rex, qui conſcientiam ſuam obiectâ Iuriſiurandi violatione tentari ſentiebat, ad Theologorum Iuriſperitorumque Academiæ Louanienſis Iudicium rem omnem deferri curat. Hi difficultate vniuersâ ſuis momentis

*Quatuor tantùm Epiſcopi olim in Belgio.*

*Iudicium Academiæ Louanien.*

mentis

mentis maturè ponderatâ, die quartâ Iunij anno M. D. LXI. reſponderunt, nouorum Epiſcopatuum inſtitutionem, Abbatiarumque & quorumdum bonorum aliorum cum ijſdem vnionem, nec Iuri, nec Regio Iuramento repugnare. Vtramque etiam multiplici ratione tutati ſunt. Nec aliud iam ante pronuntiârant ſeptem illi purpurati è Cardinalium Collegio Patres, quibus Paulus IV. libelli à Catholico Rege pro impetrandis nouis Epiſcopatibus exhibiti examen commiſerat. Igitur Rex conſcientiæ ſecuritate erectus, ne pullulans Hæreſis latiùs ſerperet, & vt Catholicam in Belgio Religionem retineret, nouos Epiſcopos mitti in poſſeſſionem iubet. Archiepiſcopalem Mechliniæ ſedem Granuellanus occupat, cui in Atrebatenſi Epiſcopatu Franciſcus Richardotus ſuccedit. Antuerpia Philipppo Nigri deſtinatur, Sylua-Ducis Franciſco Sonnio, Gandauum Cornelio Ianſſenio, Bruga Petro Curtio, Ruræmonda Guilielmo Damaſi Lindano. Harlemenſibus præficitur Nicolaus à Terra-noua, Dauentrienſibus Ægidius de Monte, Leowardienſibus Cunerus Petri, Groningenſibus Ioannes Cnifius, Middelburgenſibus Nicolaus

*ſis de nouis Epiſcopatibus.*

*Iudicium Cardinalium.*

*Noui Epiſcopi.*

laus à Caſtro. Namurcum ceſſit Antonio Hauetio; Audomarum Gerardo Hamericourtio,Ipræ Martino Rythouio. Tornacum retinuit Carolus Croyus. Cameraci relictus eſt Maximilianus à Bergis, & Vltraiecti Fredericus Schenckius à Tautenberg; ambo noui Archiepiſcopi. Hæc cura Regis fuit, vt tot eſſent Eccleſiæ Belgicæ columnæ, quot Antiſtites; tot legum Sacrarum cuſtodes & morum cenſores; tot Athletæ & propugnatores Catholicæ Religionis. Inſuper ne quis Geneuam ſtudiorum causâ, vt fieri cœptum, migraret, offenſus nouitate Religionis, vetuit; nouam Duaci Academiam inſtituit; & paulò pòſt, Concilij Tridentini decreta, vt in mores venirent, publicari mandat, ac deinde Cæſaris Caroli V. ſuper Religione Edicta legeſque exerceri. Offendit ea res Procerum quorundam animos, quibus moderatio legum conceſſa primùm benignitate Regis; mox quia nihil proficiebatur, ad vim priſtinam reuocatæ ſunt leges. Vnus adhuc Proceribus grauis erat Granuellanus, cuius gratiam apud Regem Gubernatricemque, & in Republica potentiam æquis animis non ferentes, ſaluberrimis eius conſilijs vbique obſtabant.

*Inſtitutio Academiæ Duacenæ.*

*Reuocatur Granuellanus.*

ſtabant. Hunc Rex innatâ ſibi bonitate, ne diſcordiæ materiam relinqueret, tacito mandato euocat; & ille in Burgundiam primùm, in Hiſpaniam deinde tranſit. Ac tum ſanè quorundam ambitio Magnatum laruam ponit, vt Remp. inuadat, Religionem Catholicam aut euertat, *Motu Procerum* aut labefactet. Non placet Sanctius Concilium, *quorundam.* non Quæſtorium; ad vnum Status Concilium reuocari omnia volunt, vt vna ſit Reip. mens & velut anima. Etſi Belgarum plerique ſtomacharentur, exiſtere Proceres, qui Principi legem præſcribere, & ad ſuam voluntatem adigere vellent. Hoc eos non agere, niſi ad ſeditionem ſpectarent, & bellum molirentur, quo arſura patria eſſet. Cohibendos intra obſequij limites, aut fa- *Indignatio bono-* cturos ſuum, quod Regio nomine adminiſtra- *rum.* bant. Verùm latiùs & audaciùs prorumpebat furor, contemptiſq; Viglij conſilijs, & proſtitutâ Conciliorum aliorum authoritate in varias vr- *Initium hæreſis in* bes Hæreſis penetrabat, conciliabula Miniſtri *Belgio.* Hæretici inſtituebant, concionabantur, audiebantur, ſeducebant. Et verò magnâ ex parte multitudo quotidie à Religione Maiorum deficiebat; vnde auſi Proceres quidã Religionis li- *Petitur libertas Re-* bertatem à Rege poſtulare, quaſi aliter ſalua eſſe *ligionis.*



Digitized by Google

Reſpublica non poſſet. Ijs reſponſum hoc à Rege datum, *Regem ſe eſſe non poſſe, niſi Catholicum, nullis imperare, niſi Catholicis; millies moriturum ſe potiùs, quàm Hæreſim admiſſurum. Ita ſe in inauguratione iurauiſſe, & Iuſiurandum ſeruaturum. Saluam Rempublicam futuram, ſi audacium hominum amentia legum authoritate & pœnis frænetur.* Idem volebant & ſuadebant, quicunque boni, quod Sectarij non ante quieſcerent, quàm Rempub. occuparent; idcircò vim legum remittendam non eſſe. Hactenus iterùm omni culpâ Rex liberatur. Catholicam receptamque in Belgio Religionem, quam, cùm Belgicarum Prouinciarum Princeps inauguraretur, conſeruaturum ſe iurârat, vt retineret, nouos Apoſtolicâ authoritate Epiſcopos induxit. Aliter ſaluo Iureiurando facere non poterat; hoc remedium Religionis periclitantis neceſſitas exigebat; boni omnes, & quibus ſanior mens, Theologi Iuriſperitique conſilium probabant, imò vrgebant. Neque opus Ordinum conſenſu erat, cùm Eccleſiaſticorum numerum non augeret, ſed Epiſcopali dignitate Abbatiarum quarundam Præſules ornaret. Et

*Reſponſum Regis.*

*Cauſa non conceſſæ libertatis.*

fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet ipſe culpæ obnoxius, ſi permiſsâ Religionis libertate Sectariorum inauditæ hactenus perſuaſioni locum dediſſet. Quippe violati de conſeruanda Religione Catholica Iuriſiurandi reus. Neque vllam aliter hodie in Belgio ſub Rege Rempublicam haberemus. Idcircò Vir Clariſſimus Ampliſſimuſq; Scipio Dupleix Regi Franciæ à Conſilijs Status & Priuatis, ac Hiſtoriographus, in vita Henrici Quarti, *Nihil vnquam Philippum Secundum Hiſpaniarum Monarcham aut præclarius in vita, aut ad feliciter regendum meliùs feciſſe teſtatur, quàm quod ſæculi ſui Hæreſes, ne ſtatus ſuos diuiderent, impediuerit, ac naſcentes quamprimum oppreſſerit cum rigore Inquiſitionis inſtitutæ, tum legum ſeueritate & ferro. Quo remedio,* inquit, *ſi & nos in Francia vſi fuiſſemus, hodie florentiſſimam totius orbis Monarchiam haberemus, nec ciuilium inter nos diſſenſionum occaſione noſtri hoſtes ad noſtram perniciem vſi fuiſſent.* Enimuerò Religionis libertatem petere non deſtiterunt, qui præſentem Reip. ſtatum ſub Rege oderant, etſi Regem haud perperam facere confiterentur, quod leges ſeruari iuberet, quas rectis conſilijs Cæſar edixiſ-

*Teſtimonium Scipionis Dupleix de Philippo II.*



Digitized by Google

*Coniuratio quorundam Procerum.* ſet, ſed habendam rationem temporis dicebant. Interea pauci primùm, plures deinde, neſcio quo fato, coniurant, & quam obtinere non poterant libertatem, vi ſanciendam decernunt. Concitatur imperita multitudo, quæ fræno excuſſo conniuentibus & tacitè approbantibus quibuſdam Proceribus in ædes ſacras inuolat, *Violatio Sacrorum* ſacrilegis manibus ſacra omnia perturbat, Diuorum ſimulachra demolitur, in poſſeſſiones & Sacerdotiorum vectigalia hoſtiliter graſſatur. Nolo referre, nec propoſitum eſt, quicquid hîc primo impetu Hæreſis auſa, quicquid bacchantium inſanâ temeritate Sectariorum furor attentauit; miſerebantur Belgij ſui ipſi Belgæ, nec *Item Regiæ authoritatis.* vllorum hoſtium tanta vnquam vaſtatio viſa. Leges figebantur, ſed conculcabantur; contemptui Maieſtas erat, & Gubernatricis authoritas debilitata. Retulerunt hæc alij Scriptores, vt Poſteritas iudicaret & obſtupeſceret. Interim dum Sectarij vrbes inſederant, & factionibus & turbulentis concionibus corrumpebant, clementiam Rex oſtendebat, qui gratiæ, quàm vindictæ pœnitere ſe malebat. Illibatam tamen Religionem & Maieſtatem volebat. Dum nihil proficitur, Ducem Albanum cum exercitu in Bel-

Digitized by Google

in Belgium Rex ablegat, nam ad arma & externa auxilia Coniurati iam reſpexerant, ſanioribuſque conſilijs aures obſtruxerant. Venturus & ipſe Rex fuiſſet, niſi eum Aulæ obnoxij ſuis conſilijs in Hiſpania retinuiſſent. Vix appulerat Albanus, & iam plurium è Germania viciniſque Prouincijs exercituum ſigna ſub Auriaco Ludouicoque fratribus volitabant. Infeſta penè omnia circumquàque; & vrbium fidem Brederodius alijque nonnulli à Rege alienabant. Reus erat, qui aut Regem agnoſceret, aut Catholicam Religionem tueretur. In hoc tanto Belgij tumultu arma armatis Rebellibus Albanus oppoſuit, vt Religionis & Regis Maieſtatem propugnaret. Nouum deinde Tribunal erexit, in quo læſæ Maieſtatis, & violatæ Religionis cauſæ diſceptarentur. Nihil de legum rigore remittebat, & vt erat delinquentibus implacabilis, morte, aut ſeueriori animaduerſione delicta mulctabat. Poterat vir naturâ ſeuerus mitiùs agere, ſi Gentis genium ſpectaſſet; ſed in cauſa Diuinæ Humanæq; Maieſtatis læſæ ſummum Ius exercere voluit. Dux erat rerum antea præclarè geſtarum gloriâ omninò magnus, & cui par eo ſæculo vix vllus; nec in eo Belgæ quicquam,

*Albanus mittitur.*

*Seuerè agit.*

*Qualis ipſe.*

 præter

præter nimiam ſeueritatem & quandam ſuperbiam, Iure reprehendere poterant. Nonnunquam magnarum virtutum vmbra vitia ſunt quædam. Nitebatur tamen conſcientiæ fiduciâ, ſolumque Iuſtitiæ rigorem in tanto periclitantis Patriæ periculo ſpectabat, cùm iudicaret quâuis ſeueritate redimendum Reipublicæ & Religionis exitium eſſe. Inter hæc, vt eos ad officium reuocaret, qui à Rege & auitâ Religione defecerant, conceſſam à Rege delictorum omnium veniam publicari Antuerpiæ iubet, adeóque præteritarum iniuriarum, defectionis, & omnium diſcordiarum memoriam ſempiternâ obliuione delendam promulgari. Sed obſtinatos animos tanta Principis benignitas non mouit; quinimò Hollandiæ Ordines anno M. D. LXXII. die XIX. Iulij inſtituto Dordraci Nobilium & ex quibuſdam vrbibus Legatorum conuentu bellum contra Albanum decernunt, & Guilielmum Auriacum Ducem agnoſcunt.

*Veniam delictorũ proponit.*

*Hugo Grotius in Repub. Batauica.*

Ita bellum decernitur, poſtquam geri cœptum erat, & quaſi defenſio ſuſcipitur ab ijs, qui magnam Reipublicæ partem inuaſerant, Principi ſuo iuratam obedientiam negabant, eius

Digitized by Google

eius authoritatem proteſtituerant, Hæreſim in Catholicæ Religionis exitium inuexerant. Porrò quia Albanus in Belgicis Prouincijs, tanquam vnguis in vlcere eſſe videbatur, nec eius Imperium æquis animis ferebatur, illum Rex in Hiſpaniam reuocauit, & ſucceſſorem Ludouicum Requeſentium magnum Caſtellæ Regni Commendatorem deſignauit. Huius conſilia nihil aliud, quàm pacem ſpectabant, quam non ſemel ſeditioſis omnibus obtulit; ſed hi pacem reſpuerunt, illum poſt breuiſſimum Imperium mors abſtulit. Adfuit deinde à Rege miſſus cum ſumma poteſtate Ioannes Auſtriacus, cuius nomen fama partæ ad Echinades Inſulas contra Turcas victoriæ longè latéque diſſeminârat. Et hic rurſum Regiam benignitatem ſeditioſis proponens, delictorum omnium veniam, tumultuum & diſcordiarum perpetuam obliuionem offert. Inſuper Pacificationis Gandauenſis leges, quas Rex audito Epiſcoporum, Abbatum, & Academiæ Louanienſis Doctorum conſilio ratas habuerat, obſeruaturum ſe promittit. Id vnum vrget, vt (quod pacis decreto continebatur) Catholica Religio illibata conſeruetur, & integra

*Reuocatur in Hiſpaniam.*

*Requeſentibus mittitur.*

*Moritur.*

*Ioannes Auſtriacus mittitur.*

*Veniam & Pacem offert.*

ſincera-

ſinceraque Regiæ Maieſtati obedientia præſte-tur. Hiſpanos etiam & alios externos milites è Prouincijs Belgicis dimittere paratus, idem ſi Ordines facerent, priſtinæ tranquillitati reducendæ totus incubuit. At verò quarundam Prouinciarum Ordines prauâ imbuti ſuſpicione, quaſi aliud vellet, aliud ſimularet Auſtriacus; aut veriùs, quia ad Religionem Catholicam & Regis ſui obedientiam Gandauenſi pace reuocabantur, bellum, quàm pacem maluerunt. Cùm enim adnitente Cæſare Rodolpho Secundo, & Guilielmo Cliuiæ Duce anno M. D. LXXVII. Marchiæ, quæ vrbs eſt Ducatus Luxemburgenſis, inita certis legibus concordia eſſet, *Vt externi omnes, qui aut Regi, aut Ordinibus militabant, Belgio excederent; vt Catholica Religio priſtinæ dignitati reſtitueretur; vt Auſtriacus poſt militum diſceſſum Belgij Regimen à Rege ſibi demandatum ſuſciperet*, (quæ Concordia Edicti perpetui nomen ſortita fuit) Auriacus, vnica mora pacis, Hollandorum & Zelandorum nomine illi ſeſe oppoſuit, & partam tunc Patriæ tranquillitatem inuidit. Quippe iam Rex ratam illam concordiam eſſe iuſſerat, & Auſtriacus dimiſſis

*Bellum Rebelles malunt.*

*Pax inita Marchiæ.*

*Auriacus turbat.*



Digitized by Google

miſſis ductore Erneſto Mansfeldio militibus externis Bruxellas ingreſſus manum gubernaculo admouerat. Ac prima eius tum cura fuit, vt Hollandi, Zelandi, & Auriacus initæ toties concordiæ acquieſcerent, ſed eorum hoc reſponſum fuit, vt ſatis omnes intelligerent, obſtinatos in Hæreſi & Rebellione illorum animos eſſe. Noui proinde rurſum tumultus, & ad arma reditur. Auriacus omnibus animos addebat, Protectoris patriæ nomen ſibi deferri libenter admittebat, vrbes Regiâ pompâ & ſub conopæo vectus ingrediebatur. Id illi conſilium erat, tanti in Regem criminis Belgas reos efficere, vt veniam deſperarent, & ex deſperatione Rebellioni pertinaciter inhærerent. Obfirmatis itaque contra Regem animis plurimi ſacrorum Ordinum Religioſi, potiſſimùm Dominicani, Franciſcani, & Societatis IESV Patres, mutare ſolum iubentur, nonnulli etiam extremo ſupplicio mactantur; Religionis libertas vniuerſis per præconem publicâ authoritate conceditur; Dux Alenſonius è Francia, Palatinus è Germania cum ingentibus exercitibus euocantur, vt in Belgium arma immittant. Ardebat funeſtiſſimo bello vniuerſa pa-

*Turba noua.*



Digitized by Google

*Pax iterùm tentata.* tria, cùm Imperator, Franciæ Rex, & Angliæ Regina miſerti Belgarum ciuilibus armis pereuntium, Legatos mittunt, qui de pace agant. Sed fruſtrà; nihil enim perſuaderi Seditioſis poterat, & iam ſuis ipſi tumultibus delectabantur animoſque efferabant. *Fides Hannonum & Arteſiorum.* Indixerant bello gerendo per Prouincias tributa, ſed ea præſtare Hannones Arteſijque, qui id temporis nullâ adhuc Hæreſis contagione infecti erant, recusârunt, eumque animum ſuum verè generoſum declarârunt, priùs ſe fortunis omnibus vitáque carituros, quàm vt in ſuis Prouincijs Catholica Religio detrimentum patiatur, permiſſuros. Eodem animo arma ſumpſerunt, & impetu facto quædam Flandriæ loca occupârunt. Paulò pòſt, cùm iam è viuis Ioannes Auſtriacus apud Namurcum exceſſiſſet, & ad Belgij clauum Regiâ authoritate Alexander Farneſius *Dux Parmenſis Gubernator.* Dux Parmenſis admotus eſſet, indicto Atrebati conuentu cum Rege in gratiam redierunt, quibus ſe tum Gallo-Flandri iunxerunt. Mouebat eos præſens Religionis Catholicæ exitium, in qua mori deſiderabant; nec Regis Imperium excutere, vt Optimatum quorundam iugum induerent, volebant. Cæterùm vnum erat Prin-

cipum

cipum externorum votum, vt eâdem pace totum Belgium frueretur. Vnde Pontifex Maximus, Cæſar, Dux Cliuiæ, Electores Treuirenſis & Colonienſis miſſis Legatis Belgas omnes ad arma ponenda ſanciendamque cum Rege ſuo legitimo concordiam inuitârunt. Conuenerunt illi Coloniæ Vbiorum, ac cum ijs menſe Maio anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo nono Terræ-nouæ Dux Catholici Regis Legatus. Deliberatum diutiſſimè fuit, & conſilia in Nouembrem vſque extracta; ſed Auriacus optatum conuentus iſtius fructum ſuis artibus & calliditate impediuit. Ordinum enim Legatos ſuis ipſe cōſilijs inſtruxerat. Impedire tamen non potuit quò minùs è prima Nobilitate nonnulli deſertis Ordinum Seditioſorum partibus, Regi ſuo reconciliarentur. Quis furor armorum poſtea fuerit, nihil attinet dicere; inchoatum nefas tandem abſoluitur, dum interea Farneſij armorum curſus feliciter procedit, multiſque aut vi, aut deditione captis vrbibus, & concuſſis terrore Prouincijs Regiam authoritatem aſſerit. Quippe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, die XXVI. Iulij, Fœderatorum populorum Ordines,

*Pax iterùm tentata.*

*Impedit Auriacus.*



Digitized by Google

*Hugo Grotius in Repub. Batauica.*

dines, *Philippum Regem ob violatas Imperij leges ipſo Iure Principatu excidiſſe pronuntiârunt, & ſeipſos Sacramento illi dicto liberârunt.* Inde ſublato Comitis titulo Auriaci Imperium, Præfecti vocabulo, acceperunt; quo mortuo delata Liceſtrio Præfectura eſt, eóque abdicato Mauritium Auriaci filium Hollandiæ viciniſque Prouincijs præfecerunt. Tum annis aliquot poſt ſocietatem & fœdus cum Galliæ Rege, Angliæ Regina, nonnulliſque Rebuſpublicis percuſſerunt. Quæ deinde ſecuta ſunt bella, & etiamnum geruntur, non commemoro; neque enim Hiſtoriam ſcribo.

*Decretum Rebellium contra Regem.*

*Sententia in Regem examinatur.*

*I. Punctum.*

Enimuerò hanc Ordinum fœderatorum in Regem ſuum ſententiam examinemus; hæc enim libertatis, quam ſibi vendicant, fundamentum eſſe debet. Atque inprimis *Regem ſuum ob violatas Imperij leges principatu ipſo Iure excidiſſe pronuntiârunt.* Quæ, obſecro, violatæ ſunt leges? *Non debebat*, aiunt, *Eccleſiaſticorum numerum ſine Ordinum conſenſu augere.* Eſto, neque illum auxit, ſed ornauit; neque iam plures Abbatiæ ſunt, quàm olim extiterunt. Idem numerus eſt, ſed Epiſcopi aliqui Apoſtolicâ authoritate ſunt facti, qui olim

Abbates

Digitized by Google

Abbates tantùm erant; neque aliam, quàm Abbatum ſedem, in Ordinum conuentu obtinent. Quanquam vſque adeóne precarium Regis Imperium, aut, vt veriùs loquar, ea ſeruitus Regis erat, vt Patriam nouis dignitatibus ornare, Religioni periclitanti proſpicere; ad morum corruptelam auertendam intendere curas ſuas non poſſet? Næ viliſſimus ſeruus ſic regere non vellet, ſi modò, Chriſtianus. Et quid hoc aliud eſt, quàm membra capiti ſuo legem ponere, ne rationis lege regantur? Sed nimirum potuerunt Ordines iſti Abbatias euertere, Hæreticos Miniſtros inſtituere, Sacerdotes Catholicos in exilium mittere, Sacerdotiorum vectigalia & bona quæcunque inuadere, Hæreſim in patriam inducere; non potuit Rex Abbatias nouâ dignitate ornare, nouos Epiſcopos admittere, Sacerdotes Catholicos retinere, Eccleſiaſtica bona tueri, hæreticam prauitatem à patria arcere?

Quid deinde? *Religionis libertatem concedere recuſauit*. Neque id potuit, qui Catholicam Religionem tum vnam in patria moribus receptam & à Maioribus cultam ſeruaturum ſe, cùm Princeps inaugurraretur, iurârat. An violare Iurſiurandum ſuum poſtulantibus ſub- II. Punctum.

ditis quibuſdam Seditioſis debebat? An ipſe Catholicus, aliam, quàm ſuam, in Prouincijs ſuis Religionem pateretur? Infelix libertas! quàm multorum ſalutem in exitium cõmutaſti? quàm multorum fortunas exhauſiſti? quantas ſtrages attuliſti, vt cùm multas Religiones velles, nullam relinqueres? Voluit Rex ſapiendum in Religione Maiorum more, & cum ſemel illuxiſſet fidei veritas, in ea ſubditi viuerent, & Patrum exemplo morerentur. Aliquáne Patriæ lex eſt, quæ Religionis libertatem permittat? Si nulla eſt, nullam Rex violauit, qui eiuſmodi libertatem negauit.

*III. Punctum.* Quid amplius? *Inducere contra Patria mores Inquiſitionem*, credo, *voluit*. Eam nimirum, quæ nihil aliud eſt, quàm Epiſcoporum in mores & Religionem inſpectio. Adeò, vt omnes boni eſſent, Religionis obſeruantes, ac verè Chriſtiani voluit Rex, & imperauit. Quis reprehendat, aut vllam in eo culpam comminiſcatur? Hodie nulla Catholicæ Religionis in Batauia libertas eſt; hodie ſeuera in Catholicos Inquiſitio eſt; nec Patrum more viuere licet, nec receptis tot ante ſæcula ritibus Religionem & ſacra colere. Exploratores vbique

Digitized by Google

que conſtituti & delatores, qui nullis olim, niſi Tyrannis, grati fuerunt. Sacerdotibus Catholicis nullus eſt ibi locus; exulare inuenti coguntur; ſi quis admiſerit, certa crux aut mulcta, aut bonorum omnium iactura. Reſonant Miniſtrorum Hæreticorum vocibus templa, quæ à ſæculo nondum vno ſolas Catholicorum voces & ſacra admittebant. A Catholicis ea omnia ſunt, & hodie nullum tamen eſt Catholicorum. Ita Religionis libertatem poſtulârunt, vt Catholicam eijcerent, aut ſub iugo tenerent. Imò ita libertas tum petita eſt, vt nulla hodie Romanam profitentibus Religionem ſit libertas.

*Sed & Concilij Tridentini decreta publicari Rex iuſsit.* Quæ lex publicationem iſtam prohibebat? Ea fortaſſis, quæ Synodum Dordracenam non ita pridem admiſit. Quis eſt verò, qui iuſtæ interceſſionis vel querelæ cauſam attulit? quis iniuriam aut detrimentum eſt paſſus? Prudens Rex Philippus non aliter Tridentinam Synodum publicari iuſſit, quàm eâ lege adſcriptâ, ne ſuum aut ſubditorum ſuorum Ius eo deterius eſſet. Vt erat obedientiſſimus Eccleſiæ filius, ita ſubditis ſuis, quod illa decre- *IV. Punctum.*

 uerat,

Digitized by Google

uerat, placere voluit, & in mores venire. Num adhuc aliquid eſt?

V. Punctum. *Philippum*, inquit Grotius, *nec preces, nec monita ad mentem ſaniorem reuocare poterant*. Quæ ſanior, obſecro, mens illa? An vt Seditioſis, quicquid poſtularent, indulgeret? an vt excuti ſuæ Maieſtatis Imperium permitteret? an videns & intelligens Religionis auitæ ſacra conculcari, templa ſpoliari & euerti, vrbes ab obedientia iurata auocari, Reipublicæ Iura inuadi ſineret? Quanquam quæ preces aut monita illa fuerunt? Vt Hiſpanos & externos milites Belgio excedere iuberet? iuſſit; ſed cùm non minùs ſeditioſè ageretur, reuocauit. Petitum idem poſtea à Ioanne Auſtriaco cùm aliqua ſpes pacis affulgeret, & dimiſit ipſe. Vt Granuellanum, vt Feriæ Comitem, vt alios nonnullos à gubernaculis auocaret? Auocauit. Vt in Belgio pacem eſſe vellet? voluit. Et verò etiam Gandauenſem Pacificationem, quam Ordines ipſi conſtituerant, ſuâ authoritate approbauit ac ſeruari iuſſit. Aliquoties delictorum omnium & læſæ Maieſtatis veniam indulſit; ſed fruſtrà. Multoties cùm externorum Regum ac Principum Legati de pace in Belgio

Belgio ſancienda agerent, paratus Rex ſemper fuit, nec eam vnquam, ſaluâ Religione ac Maieſtate ſuâ, recuſauit. Recusârunt fœderati Ordines ſemper, omneſque conditiones repudiârunt, quibus ſalua libertas & Ius decreti contra Regem pronuntiati non eſſet. Pugnauit nimirum Principis benignitas, cum ſubditorum pertinacia; ac tum ſanæ mentis illum iudicâſſent, ſi abdicato Principatus Iure Seditioſis ceſſiſſet, & Prouincias, quas illi ſummâ iniuriâ eripuerant, liberas reliquiſſet.

At verò, quod caput eſt, *In patriæ Priuilegia Rex impegit, & Prouincijs eripuit.* De ea re iam Capite decimo tertio egi, cùm ſummam Auſtriacorum Principum in Rerumpublicarum & Regnorum ſuorum adminiſtratione moderationem oſtendi. Dicant Prouinciæ illæ, quæ hoc tempore Regem agnoſcunt, & illi obediunt, nunquid ſuis ſingulæ Priuilegijs fruuntur? Nihil ſibi detractum Nobilitas putat; vrbes ſuis Iuribus ſub Regis Imperio vtuntur; Eccleſiaſtico Ordini ſua ſalua dignitas eſt, & immunitas, & libertas; nulla cuiuſcunque ciuitatis Artificum Collegia de vlla Priuilegiorum ſuorum imminutione conqueruntur. Ordi- *VI. Pun-ctum.*

Mm num

num quoque ſingularum Prouinciarum voluntas, cùm opus eſt, exigitur, nec vlla ſine eorum conſenſu vectigalia imperantur. Quanquam nec ipſi hoc ignorant, qui à Rege defecerunt, & maior eſt Regiorum ſubditorum, quàm fœderatorum iſtorum populorum libertas. Neque enim Principem non habere libertas eſt, ſed Deo, Religioni, legibus ſub Principe bono parere.

VII. Punctum. Fortaſſis *crudelitatem aliquam & Tyrannidem Regi affingent, & idcircò Principatu excidiſſe dicent.* Quanquam quis Tyrannidem ſuſpicari in Rege illo poſſet, *Qui*, teſte Dominico Baudio Scriptore Batauo, *Ingenio ad clementiam propenſus erat, minimèq; humani ſanguinis auidus?* qui toties, vt retulimus, ſummâ benignitate delictorum omnium veniam ſubditis Rebellibus obtulit? qui id vnum in vita ſua optauit, vt eos, qui à ſe defecerant, recipere in gratiam poſſet? Sed iam etiam tantum Regem ab hac Tyrannidis ſuſpicione Capite decimo tertio liberauimus. Clamitent fœderati populi ſeueriſſimis Albani Ducis decretis in Belgio quàm plurimos occubuiſſe, dum ille Rebellium & Seditioſorum delicta ſummo

Iure

Digitized by Google

Iure ponderabat,& culpæ grauitati pœnæ ſeueritatem adiungebat. Hanc temporum iſtorum conditio neceſſitaſque fortaſſe poſtulabat; & nocuiſſet bonis, ſi malis iſtis Reipublicæ Religioniſque Perturbatoribus peperciſſet, qui oblatam à Rege veniam reſpuebant, & Regiam benignitatem cumulatis criminibus oppugnabant. Vtinam tamen mitiùs egiſſet, nec tam ſummam Iuſtitiam,quàm Belgarum naturam conſiderauiſſet. Fatemur etiam nimio illum Iuſtitiæ affectu modum fortaſſe in pœnis decernendis exceſſiſſe. Quâ ſe ratione autem Ordines tum Seditioſi defendent, qui tot vrbes id temporis crudelitatis ſuæ theatra fecerunt? qui non humana tantùm, ſed diuina quoque Iura in ædes Deo dicatas, in ſacra,in Religioſiſſimos homines ſæuiendo, violarunt? Eorum ſæuitia plurimos Eccleſiæ Romanæ Martyres dedit, quos Petrus Opmerus Amſterodamus poſteritati repræſentauit, & in quibus nulla, præter innocentiam & Catholicæ Religionis profeſſionem, reperiri extremi ſupplicij cauſa potuit. Gratulandum equidem Batauiæ eſt viciniſque Prouincijs, quod in ijs tales tantoque animo viri extiterint,qui acerbiſſimorum cruciatuum

 experiri

Digitized by Google

experiri vim mallent, millieſque mori, quàm ab auita Religione Regéque legitimo deficere; ſed non deberent Regi ſuo Tyrannidem obijcere, qui tantam ſæuitiam in homines innocentiſſimos exercuerunt. Scit Gallia; ſcit Belgium, ſciunt Regiones aliæ, ne mortuos quidem Hæreticorum crudelitatem effugere potuiſſe. Exempla in luce palàm ſunt, quæ hæc tempora horrent, poſteritas obſtupeſcet. Luxerũt Gorcomienſes funeſtiſſimam illorum mortem, quos in Religione Patres habebant & reuerebantur. Fleuerunt alij ſuos, quorum innocentiam teſtari fruſtrà voluerunt.

Nullis igitur, iuſtis ſaltem cauſis, niti decretum illud potuit, quo Regem ſuo Principatu excidiſſe pronuntiârunt. At verò quinam tandem tantæ cauſæ Iudices extiterunt? Subditi. Quinam Principem ſuum accuſârunt? Subditi. Quinam in Regem ſuum naturalem & legitimum perditi Principatus ſententiam tulerunt? Subditi. Quâ ſeruatâ Iudiciorum formâ? Nullâ. Quâ authoritate? Nullâ. Quippe *nemo niſi ſolus Deus Iudex Principis eſſe poteſt*, vt Marcus Antoninus Philoſophus, Xiphilino teſte, dicebat. Nam, vt Guntherus

*De Iudice.*

*Accuſatore.*

*Forma Iudicij.*

Digitized by Google

therus libro 6. de Maieſtate loquens, ait. *Subditis nullum ius eſſe in Principem.*

— *Nullum caput iſta ſuper ſe*
*Aſpicit, excepto cælorum Rege, poteſtas,*

Et Poëta Horatius lib. 3. Ode 1.

*Regum timendorum in proprios greges,*
*Reges in ipſos Imperium eſt Iouis.*

Nec alia mens fuit Marci Aurelij Imperatoris, dum aſſeruit, *Magiſtratus de priuatis, Principes de Magiſtratibus, Deum de Principibus iudicare*. Vnde non opus eſt, vt ingeniosè aliqui, ſed parum ſapienter, Principes populo ſubeſſe, & aliquando de ſolio ſuo deturbari poſſe, comminiſcantur. Hoc enim eſt ſubditis Imperium, Imperantibus ſubiectionem attribuere, & Reges non regere velle, ſed regi, ac cum ſubiectione ſupremum Imperium Maieſtatemque miſcere. Quare certiſſimum illud eſt & indubitatum, nullam omninò Rempublicam ferre de Principe ſuo ſententiam poſſe. *Qui Maieſtatem habet*, inquit Albericus Gentilis, *à ſolo Deo dependet, cuius vicem obtinet in hoc mundo*. *Diſp. Regia pag. 1* Nec refert, quod populus Maieſtatem in Principem tranſtulerit. *Quippe*, vt ait Bornitius de Maieſtate, *haud à populo eſt Maieſtas, qui eam tranſtulit in Principem*, *Cap. 4.*

*pem, ſed ipſa ea poteſtas, quam populus ab initio habuit, fuit à Deo: nec inde, quod à populo tranſlata fuit, à transferente ortum habuit.*

Verùm quoniam, *ipſo Iure*, Regem excidiſſe Principatu ſuo pronuntiârunt, quod eſt, obſecro, Ius illud? Quam legem aut diuinam, aut humanam ſunt ſecuti? Diuina lex hæc eſt, quam Apoſtolorum Princeps publicauit: *Subiecti eſtote omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei.* Illa iterùm diuina lex eſt, quam Gentium Doctor aſſeruit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Hanc ob cauſam nulli vnquam Chriſtiani pertinere ad ſe putauerunt, Regibus ſuis arma opponere; cùmque aliquando quidam iuuandæ Reipublicæ prætextu non ſatis æquis Imperatoribus ſeſe opponerent, nunquam in eorum ſocietatem venire voluerunt. Sufficere hîc præpotentis Dei voluntas

*1. Petri cap. 2.*

*Ad Rom. cap. 13.*

*Tertullianus.*



Digitized by Google

luntas & lex deberet, ſed an ſubditorum de legitimo Rege ſuo ſententiæ ſuffragari humanum aliquod Ius poteſt? *Generale pactum ſocietatis humanæ eſt*, inquit Auguſtinus, *Regibus obedire*. Non opus eſt referre tot illas leges mortalium omnium conſenſu latas; tot illas pœnas, Curiarum authoritate decretas, quibus Regum ac Principum Maieſtas tanquam ſacroſancta defenditur. Profectò ſi hoc diuinum oraculum eſt, vt eſt certiſſimum, *Principi non maledices*, nefas eſt in Principem manus armare, plus quàm nefas Principatu ſuo illum exuere, debitum obſequium in Imperium commutare, Sacramento illi dicto ſeipſos liberare. Quod profectò, ſi vllo Iure liceret, miſerrima Imperantium omnium conditio foret, quorum ſubditi, quoties vellent, ab obedientia illis debita ſeipſos abſoluerent, leges & iuſſa eorum non curarent, & cùm illorum Iuſtitiam propter delicta ſua timerent, ilicò vt ſupremam in ſe poteſtatem excuterent, præſtito Iureiurando ſeipſos liberarent. Ita in omnem nequitiam aperta via eſſet eaque latiſſima, nec vllâ vi legum Reſpublicæ tenerentur. Opus eſt pluſquam humanæ poteſtatis authoritate,

*Deuteronomij c. 22.*

*A conſequentibus.*

tate, vt illud inter Principes & ſubditos imperandi parendique vinculum ſoluatur, & dicto Principibus Sacramento ſubditi liberentur. Eam verò poteſtatem in Philippum Regem Principem ſuum naturalem, nunquam fœderati Populi habuerunt, quia ſubditi illi diuino humanoque Iure fuerunt. Quanquam ſatis erat fortaſſis oſtendere nullam ſententiæ à ſubditis in Regem latæ omninò cauſam extitiſſe.

*Examinatur articulus primus Induciarum.*

Vnum reſtat, quo tueri libertatem & Reip. ſuæ Ius abdicato Principe fœderatæ Prouinciæ ſolent. Nimirum *quod anno milleſimo ſexcenteſimo nono Philippus Tertius Rex, & Archiduces Albertus Iſabellaque Belgarum Principes, Inducias in duodecim annos pacti ſint cum Ordinibus fœderatis, tanquam cum liberarum nationum acciuitatum Ordinibus, in quos nihil ipſi Iuris prætenderent.* Verùm leue hoc ſanè tuendæ libertatis iſtius eſt argumentum. Etenim ſi Rex & Archiduces ſuo in fœderatas Prouincias Iure ceſſiſſent, non in annos duodecim Induciæ, ſed perpetua pax fuiſſet, quam tamen, vt Grotius confitetur, difficultates tum maximæ remoratæ ſunt. Et quæ illæ tantæ difficultates, niſi quod cùm Rex, tum

Digitized by Google

tum Principes ſuo ſe abdicare Principatu, & legitimo in Prouincias iſtas Iure cedere omninò nollent? Neque enim ea Principum id temporis neceſſitas erat, vt breuiſſimas paucorum annorum Inducias emere tanti deberent, cùm victorioſiſſimis tum armis vterentur, & Mauritij fortunam Spinolæ fortitudo ſiſtere quodammodo videretur. Quoniam verò benigniſſimi Principes expedire iudicabant, vt Belgium tot hactenus funeſtiſſimis bellis defeſſum ac penè exhauſtum paululum quieſceret reſpiraretque, animum ad pacem, ſi ad officium obedientiamque fœderatæ Prouinciæ redire vellent, adiecerunt; cùm nollent, quoniam neceſſaria populis aliqua quies videbatur, paciſci duodecennales Inducias contenti fuerunt. Et has ne vlla iterùm difficultas moraretur, ita eas facere parati fuerunt cum Ordinibus fœderatis, tanquam ij liberi exiſterent, & in quos nullum Ius ac poteſtatem haberent, quemadmodum tales ſe eſſe, non Regis ceſſione, ſed ſuo Iure dicebant. Quippe ita fiebat, vt omnium animi eâ ſuſpicione liberarentur, quâ plerique fore exiſtimabant, vt certa ſanctaque illa duodecim annorum pax,

*Principem iure ſuo ſe non abdicâſſe.*

Nn tanquam

Digitized by Google

tanquam inter Principem & ſubditos inita, futura non eſſet. Quod nimirum facilè Principes pactum eiuſmodi cum ſubditis reſcindendi occaſionem poſſent inuenire. Atque idcircò decretæ illæ Induciæ ſunt, non cum liberis populis, ſed tanquam cum liberis; neque per eas ſupremæ ſuæ poteſtati Principes renuntiârunt, ſed eam breuiſſimo illo tempore quaſi depoſuerunt. Et ſanè ſi renuntiare Iuri ſuo Rex & Principes voluiſſent, ſuis Legatis id faciendi poteſtatem conceſſiſſent, quam illi ſe habere ſemper negârunt, nec vnquam habuerunt. Dixerunt verò contentos Ordines eſſe debere, ſi tantiſper dum ſequeſtra pax duraret, in fiduciaria libertatis poſſeſſione eſſent. Monuerunt præterea Regum Franciæ & Angliæ Legati fœderatos Ordines, vt à petita ſupremæ poteſtatis reſignatione deſiſterent, quod Iura Maieſtatis communicari per Naturam, vel alienari non poſſent, cùm nec æſtimationem recipiant, nec in commercio verſentur, ſed publici ſint Iuris, & nullâ conuentione, aut temporum lapſu præſcribantur vſurpentúrve. Præterquam quod aliâ Iuris ſolemnitate perfici eiuſmodi in perpetuum ceſſio debuiſſet, atque

*Batauos non agnitos eſſe liberos.*

audiri

audiri Cæſar ipſe, tanquam multorum ijs in Prouincijs feudorum Dominus, ſicut ita ſe velle ſcriptis ad Ordines fœderatos litteris teſtatus eſt. Quibus omnibus fidem adfert Dominicus Baudius in illo ſuo trium librorum opere, quod de Inducijs conſcripſit. Iam verò quantum eſt hoc, quod, cùm Induciarum tempus finitum eſſet, conſulti Franciæ & Angliæ Reges reſponderunt, nunquam ſe intellexiſſe pactas eâ lege Inducias fuiſſe, vt Rex & Archiduces Iura Maieſtatis ſupremæque poteſtatis in fœderatas Prouincias transferrent. Vnde factum etiam eſt, vt cùm pactarum Induciarum anni expirauiſſent, vtrimque ad arma rediretur. Moribus quoque Gentium ac Iure ipſo receptum eſt, vt cùm poſitis armis Induciæ fiunt, Ius ſuum vtraque pars retineat, nec inito Induciarum pacto labefactetur, multò minùs extinguatur. Quam ob cauſam tum Rex, tum Sereniſſimi Archiduces & inſignia & titulos Hollandiæ, Zelandiæque Comitum, ac aliarum inſuper Prouinciarum, quæ eodem fœdere cenſebantur, retinuerunt. Præterquam quod finito Induciarum tempore miſſo Peckio Brabantiæ Cancellario Ius ſuum Archiduces repe-

tiuerunt, & ad ſuam Regiſque obedientiam fœderatas Prouincias reuocârunt; quod profectò nunquam tam ſancti Religioſique Principes feciſſent, ſi Iuri ſuo pactis Inducijs renuntiauiſſent.

*Non debuiſſe Reges alios cum Batauis fœdus contra Regem inire.*

Videant nunc Reges, Principes, & Reſpublicæ, quæ anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ſeptimo, ac poſtea etiam, cum fœderatis illis Nationibus fœdus percuſſerunt, inque armorum ſocietatem venerunt, quam tandem ſuorum auxiliorum cauſam, quæ quidem iuſta eſſe poſſit, conſtituant. Conſiderent num æquum fuerit, eas Prouincias ſibi per fœdus æquare, quæ à legitimo Principe ſuo per armatam ſeditionem defecerunt, ac ſolâ non parendi pertinaciâ in libertatem ſeſe aſſeruerunt. Quod ſi Naturæ Iure arcta quædam inter Reges ſocietas eſt, & conſanguinitati propinqua affinitas, vnde ſe fratres appellant, eorum eſt alterius calamitatem tanquam ſuam exiſtimare, nec tantùm de ea dolorem ſuum teſtari, verùm etiam ad eam auertendam aut reſarciendam auxilia, quanta poſſunt, libenter conferre. Ac potiſſimùm ſanè cùm animaduertunt nullam iuſtam ob cauſam, ſed per manifeſtiſſimam Rebellionem;

Digitized by Google

nem, per iniuriam, per dolum, per armorum vim ſubditos aliquos legitimi Principis ſui Imperium excuſſiſſe, diuinum & humanum Ius violâſſe, Religionem auitam nouæ perſuaſionis inducendæ cupiditate conculcâſſe. Nec hoc tantùm, ſed etiam poſtquam Principi à Deo ſibi dato Prouincias ſuas per ſummam iniuriam eripuerunt, & patrimonio ſuo exuerunt, eius Maieſtatem apud Principes alios criminari, grauiſſimorum ſcelerum falsò accuſare, ac vt vulgi animos ab eo alienent, conuitijs contumelijsq́ue ſanctum nomen eius proſcindere, famam libellis infamibus, picturis, & cantilenis dilacerare. Vnum eiuſmodi in Regno aliquo peccatum, in alijs ſimiliter peccandi eſt incitamentum. Et cùm ſubditi Regis alicuius fortunatâ rebellandi audaciâ in libertatem ſeſe aſſeruerunt, ſuo exemplo, vt idem Regum aliorum ſubditi faciant, inuitant. Raró, aut certè nunquam, qui in Rege ſuo Maieſtatem oderunt, in alijs illam amant; & quanquam ſeſe illam colere ſimulent, dum neceſſitati ſuæ auxilia conquirunt, oderunt tamen & extinctam vellent. Quippe Genius iſte Rebellium eſt, ac potiſſimùm Hæreticorum, æqualem omnium

*Batauorum exemplum alijs pernitioſum eſſe.*



Digitized by Google

in Rebuſp. conditionem videre, nullum Regem pati, nullum Principatu ſublimen tolerare.

*Iudicium Regum aliorum de Rebellione Belgica.* Age verò, non verebor etiam affirmare nullum hactenus aut Regem aut Principem fœderatis Ordinibus auxilia aduerſus Hiſpaniam ſuppeditauiſſe, qui non eorum cauſam improbârit. *Eliſabeta Regina Angliæ.* Improbauit ſanè primùm Eliſabeta Angliæ Regina, ad quam cùm anno M. D. LXXVI. Aubignius Baro, vt pecuniam aliquam in belli ſubſidium obtineret, miſſus eſſet, quadraginta duntaxat aureorum millia *Lib. 6. Hiſtoriæ Belgicæ.* numerari illi iuſſit, ſed plura promiſit. *Atque hanc potiſſimùm ob cauſam*, inquit Meteranus, *ne Ordines Belgici, neceſſitate compulſi extraneum aliquod fœdus inirent, aut Franciſ ſe committerent, ſed vt Principi ſuo Regi Hiſpaniarum Philippo obedientes permanerent*. Mutauit illa animum poſtea, à Batauis nimirum aliter perſuaſa, & odio fortaſſis aliquo exulcerata, vel metu; Iudicium certè de obedientia Principi præſtanda mutaſſe non credo.

*An. 1568 Caroli IX Franciæ Regis.* Aliquot ante annos Carolus IX. Franciæ Rex cùm ardere bello Belgium videret, & Albano Duci vim armorum ingentem opponi, ei bis mille cataphractos Equites, quorum manibus

nibus & armis aduerſus Rebelles vteretur, obtulit. Quo auxilio quid de Rebellibus eiuſmodi iudicaret, ſatis profectò tum indicauit. Nec immemor tunc prudentiſſimus Rex erat promptiſſimæ Ducis Albani voluntatis, quâ anno ſuperiore, quindecim militum millia, quorum ipſemet Dux eſſet, in Franciam aduerſus Seditioſos ibidem Hæreticos transferre voluerat. Ac non ita diu pòſt Arembergium cum mille & quingentis Equitibus, etiam miſerat. Idem Rex cùm rogatus eſſet à Ludouico Naſſouio, vt Belgarum Fœderatorum patrocinium ſuſciperet, perſuaderi ſibi paſſus non eſt & recuſauit. *Petrus Matthæus*

Henricus Tertius Franciæ quoque Rex, & quem ſubditorum Rebellio plus ſatis exercuit, in ea opinione fuit, vt Petrus Matthæus teſtatur, *nullum Diuinæ Maieſtatis mandatum, nullam vbiuis terrarum Religionem, nullam inter homines receptam eſſe legem, quâ ſe defendere vel excuſare ſubditi poßint, qui in Principem ſuum naturalem ac legitimum arma ſumunt. Siquidem omnem in eos authoritatem, & ſupremæ poteſtatis gladium à Deo accepit, ad bonorum conſeruationem punitionemque malorum. Hoc crimen Deo abominan-* *Henrici III.* *In vita eius.*

*minandum, hominibus deteſtandum eſſe; ijs verò, qui ſe illo contaminârunt, vel ipſum Chriſtianum nomen pudori eſſe & ignominiæ ſempiternæ.* Quid veriùs dici potuit? Nec ipſi, qui malè ſibi conſcij ſunt, negare poſſunt.

*Henrici Quarti.*

Henricus Quartus, qui poſt Henricum Tertium Franciæ Regni faſces accepit, magna fœderatis Belgij Ordinibus auxilia ſuppeditauit. Qua de re cùm ab Archiducis Alberti Legato moneretur, quod iniquum eſſet eius ſuppetijs populos aliquos Principi ſuo legitimo reſiſtere, reſpondit, nulla ſe auxilia mittere, ſed pecuniam, quâ æs alienum, quod cum Batauis contraxerat, diſſolueret. Contra Iuſtitiam nihil à ſe fieri, ſi pecuniam, quam ab ijs acceperat, reſtitueret. Quod ad milites è Regno ſuo attineret, ijs ſe libertatem concedere, vt vel Archiduci, vel Batauis, vel alijs etiam militent. Quo reſponſo nequaquam æquum eſſe iudicabat, Rebellibus aduerſus Principem ſuum legitimum, opitulari. Sagax autem Rex, quæ Iure mittere auxilia non poterat, æris alieni prætextu excuſabat. De militibus fingi excuſatio iſta, non iuſta adferri cauſa poterat. Quippe id legibus pacis anno M. D. LXXXXVIII. inter eum

*Duplex in eius vita.*

& Hiſpa-

Digitized by Google

& Hiſpaniæ Regem Philippum Secundum Veruini initæ vetabatur. Inter eas enim prima erat *Ratam haberi, ac denuò confirmari Cambreſianam pacem inter Philippum Secundum Hiſpaniæ, & Henricum Secundum Franciæ Reges.* Secunda. *Inter eoſdem Reges, eorum liberos natos & naſcituros, poſteros omnes, ſucceſſores, & hæredes Regnorum ipſorum, patrias & ſubditos, certa, firma, ſtabiliſque pax, fœdus, & perpetua amicitia erit; ſeſe inuicem amore tanquam fratres proſequentur, procurabuntq́ alter alterius, quantum in ſe erit, honorem, commodum, famam; omne autem incommodum damnumq́ auertent; neq́ vlli vnquam mortalium fauebunt vel auxilio erunt, vnde accipere detrimentum alter poſſet. Adeò deinceps inimicitiæ omnes ceſſabunt, & acceptæ hinc inde iniuriæ, ſi quæ ſint, perpetuâ obliuione delebuntur. Renuntiant etiam omnibus fœderibus, factionibus, pactis, ſocietatibus, cum quibuſcunq́ alijs quocumq́ tempore contractis, quæ alteri eorum damno eſſe poſſunt; ac inſuper promittunt, nunquam ſe quicquam aut tentaturos aut proſecuturos, quod in alterius detrimentum cedat, neque id fieri à ſub-*

*Leges duæ pacis Veruinienſis.*

*ditis ſuis vnquam quâcunque ratione patien-tur. Et ſi ſubditorum aliqui, cuiuſcunque conditionis ac ſortis ſint, terrâ aut mari militando, vel opem quamcunque ferendo, huius pacis leges præuaricentur, ita vt Regum alteri damnum oriatur, tenebitur alter eis ſe opponere, impedire & punire tanquam huius pacis violatores, & boni publici perturbatores.* In has leges Henricus Quartus pro ſe, ſucceſſoribus ſuis, ac toto Regno in principali Pariensis vrbis templo cùm Pontificius Legatus, qui Cardinalis erat, ſacris operatus eſſet, iurauit, propriâ manu obſignauit, & publicari mox iuſſit. Idem poſtea fecit Albertus Archidux præſente Bruxellis Bironio Henrici Quarti Legato. Idem fecit Philippus Secundus in Hiſpania. An verò promiſſis ſuis ac Iuramento ſteterit Franciæ Rex; & an hodie initam illam tam ſolemniter pacem Ludouicus Decimus Tertius eius filius obſeruet, iudicet Orbis. Fœdus cum Fœderatis Belgij Ordinibus non ſemel hic poſteà percuſſit, auro & milite iuuit, etiamnum hodie iuuat, integræque ac plures legiones Francorum ære ſui Regis contra Hiſpanum Batauis militant. Neque hactenus tam felicem rerum

*Iurauit in eas Henricus IV.*

*Fœdus cum Batauis contra leges pacis.*

ſuarum ſucceſſum in cauſa iniquiſſima habuiſſent; neque tantum Religio Catholica in tot vrbibus paſſa damnum fuiſſet, niſi tot Francorum auxilia partibus illorum acceſſiſſent. Id iactitant Galli Scriptores, nec Franci ipſi diffitentur, qui hoc tempore Hæreſi præſidium contra Catholicos in plurimis ciuitatibus & Arcibus præſtant. Sed Regum conſcientiam hîc non excutio, politicis rationibus tueri ſe nôrunt, quibus cedere Religionis cauſa, prô dolor, debet. Quid Cæſares, quid alij Chriſtiani orbis Principes de hoc Bello Belgico ſenſerint ſentiantque, dum tot miſſis diuerſo tempore Legationibus fœderatas Prouincias ad Regis ſui legitimi obedientiam reuocare ſtuduerunt, plus ſatis manifeſtârunt. Sed irritus apud obſtinatos eorum labor fuit. Vtinam non ſemper! Iacobus Baſtonius ſupremæ Pariſienſis Curiæ Senator Antonio le Pippre, vt ipſe refert, aliquando dixit, Fœderatos Belgas nunquam meliorem inuenturos amicum, quàm Principem ſuum naturalem & legitimum, foreque aliquando, vt ad eius obedientiam redire concupiſcant. Nec ſanè differrent, ſi, (quod mihi propoſitum erat oſtendere) conſiderent,

*Cæſarum & aliorum Principum Iudicium.*



Digitized by Google

nihil benignius, nihilq́ue humanius Regibus ſuis eſſe. Etenim Philippus Secundus nihil omiſit, quo Belgas ad ſui amorem & obedientiam reduceret; Regna alia ſua, & ipſas Indias exhauſit; tot Duces præſtantiſſimos ad hoc opus adhibuit, tot ſigna propenſiſſimæ benignitatis ſuæ oſtendit. Cùm nihil proficeret, filiam ſuam Iſabellam, Claram, Eugeniam, & Albertum eius maritum Principes illis dedit, ac cum Burgundiæ Comitatu Belgium conceſſit. Hodie etiam Philippus Quartus, quem vnicum fratrem habet, Sereniſſimum Infantem Ferdinandum in has Prouincias ablegauit, ſui in eas amoris pignus longè chariſſimum. Faxit Deus, vt quod omnium vota expetunt, iterùm amore, & communi ſub eodem Principe conſenſu Belgium vniuerſum coaleſcat.

*Benignitas Philippi Secundi*

*Item Philippi IV.*

## CAPVT XVII.

### *De Zelo Auſtriacorum pro Catholica Religione retinenda.*

TAnta vis inuidiæ eſt, vt eam effugere ne ipſa quidem Catholica Religio inter Catholicos poſſit. Huius conſeruandæ zelum in Auſtriacis Principibus Franci non ferunt,

runt,& eos Religionis tantùm prætextu in aliorum ruinam graſſari contendunt. Audet affirmare Balzacus Hiſpaniæ Regem non Religionis causâ aduerſus Hæreticos arma mouere, ſed politicâ ratione; nec eos aggredi, vt ad Religionem Catholicam,& in Eccleſiæ ſinum reducat, ſed vt ea, quæ poſſident, occupet. Alius Du Ferrier in ſuo Catholico Politico ſumpta à Cæſare in Proteſtantes & Sectarios arma ſolùm Religionis prætextum habere dicit, reuerà autem vnum eorum finem eſſe, Romanum Imperium Genti Auſtriacæ hæreditarium reddere. Ita Scriptores illi ſuâ conſcientiâ aliorum conſcientias, & Regum quidem Cæſarumque, metiuntur. Quaſi quod quiſpiam in popinis & inter pocula comminiſcitur, id in Regum Catholicorum intentione ſit. Sunt verè Chriſtiani Auſtriaci Principes, nec eorum gloria ab emptis Scriptorum eiuſmodi calamis dependet. Sunt verè Catholici, & ſatis ipſis eſt Deo, qui pectorum receſſus latebraſque ſcrutatur, conſcientiam ſuam probari, non hominibus illis, qui inuidere tantùm poſſunt, & maledictis laceſſere. Rumpantur ipſi inuidiâ, fremant, frendeant, omnem ſuam eloquentiam compoſitis conuitijs *In Principe.*

euomant, non deſinent Principes Auſtriaci ſuarum opum iacturâ & vitæ periculo Religionem Catholicam vbique terrarum propugnare. Et quoniam qui inuident de vero ſinceróque Auſtriacorum in Religionem affectu, dubitare videntur, duo hîc manifeſſimis ſignis oſtendam; vnum Gentis Auſtriacæ Principes nihil vnquam glorioſius ſibi duxiſſe, quàm fidem à Maioribus acceptam veréque Catholicam ſine fuco colere; alterum omnes curas ſuas, labores, & potentiam, ad illius propagationem, propoſitâ ſolâ ſibi Diuinæ Maieſtatis gloriâ populorumque ſalute, hactenus contuliſſe. Neque tamen omnes producam, ſed eos tantùm, qui in odium & inuidiam vocantur; neque priuatam eorum pietatem attingam, ſed ea duntaxat Religioſiſſimi animi officia, quæ in publica luce fulſerunt.

Atque inprimis, vt eos prætercam, quorum tempore huius ſæculi Hæreſes nondum caput extulerant, *Albertus IV. Archidux Auſtriæ* ita Religioni Chriſtianæ deditus fuit, vt publicè in ſacris ædibus pſallere cum Sacerdotibus ſummâ pietate non erubeſceret. Amplius verò etiam fecit *Fredericus III. Imperator Auſtriacus*,

*Albertus IV. Archidux Auſtriæ.*

*Fredericus III. Imp.*

*cus*,

*cus*, qui non contentus, cùm Romam veniſſet an. M. CCCC. LII. ad pedum Pontificiorum oſcula ſe abieciſſe, Diuorum reliquias in vrbe aſſeruatas ſingulari cultu veneratum eſſe, coronamque & alia Romani Imperij inſignia de Pontificis manu accepiſſe; vltrò etiam anno M. CCCC. LXVIII. pridie Natalis Chriſti, cùm eâ nocte Pontifex ſacris operaretur, Euangelium de edicto Auguſti, exemplo Sigiſmundi Imperatoris, qui idem aliquando feciſſe dicitur, decantauit.

*Maximilianus* autem Primus ex eadem Auſtriaca Gente Cæſar cùm ex hac vita ſibi migrandum eſſe videret, nepotibus ſuis Carolo V. & Ferdinando I. mandauit, vt Maiorum veſtigijs inſiſtentes Religionem auitam Catholicamque aduerſus omnes Religionis & publici ſtatus perturbatores conſtanti animo, ac cum vitæ etiam periculo tuerentur. Et cùm id temporis Lutherus primùm exoriretur, eius inſaniam & ingenium ſæpe deteſtabatur, aſſerebatque, quod ſi viuere diutius eum diuina Maieſtas permitteret, non fruſtrà malè ſanus homo Germaniam ſibi perturbandam deſumeret. *Maximilianus I. Imp.*

De *Carolo V. Cæſare* quis niſi impius malè ſuſpica- *Carolus V. Imp.*

ſuſpicaretur? De eo paſſim in expeditionibus etiam bellicis dicebatur, *Sæpius illum cum Deo, quàm cum hominibus loqui.* Preces enim Canonicas nunquam in caſtris omittebat. In Africa cùm animaduerteret ſemel prælium ſubitò committendum non ex animi voto ſucceſſurum, receptui cani iuſſit, quod, vt inquie-

Zenocarus lib. 3. bat, *mallet Chriſtianum vnum ſeruare, quàm mille Mauros, Turcas, aut Pœnos trucidare.* Cùm videret pertinacem in erroribus ſuis Lutherum, vinciq́ue ſæpiùs, nec ſe victum fateri, ac iam illi à Leone X. Pontifice ſacris interdictum, eum proſcripſit ac libros ipſius flammis adiudicauit. Idem poſtea in Comitijs omnibus egit, vt Concilij Tridentini decretis toto in Imperio Regniſq́ue ſuis pareretur. Vbi autem ſe Imperio totq́ue Regnis abdicare voluit, nihil prius habuit, quàm filio ſuo Philippo, Germaniæ Principibus, & Belgij Ordinibus Religionem Catholicam commendare, à qua Regnorum ſalus dependeret. Quid, quod cùm Sectarij quidam Dei verbum populo promulgandi poteſtatem ab eo poſtularent, animo ve-

Surius an. 1548. rè heroïco veréque Chriſtiano reſpondit: *Non meum eſt de puritate diuini verbi cognoſcere;*

*munus*

*munus hoc Epiſcoporum eſt, quorum Iudicio etiam lubens meipſum ſubmitto, atque eorum Iuriſdictionem in omnibus ſaluam eſſe volo.*

*Philippum Secundum Hiſpaniæ Regem* non tantùm vere Chriſtianum, ſed Eccleſiæ Catholicæ columnam, Bonorum omnium parentem, Chriſtiani nominis protectorem Catholici omnes appellârunt. Is frequenti vſurpare ſermone ſolebat, quod ſi filius eius, quem tum vnicum habebat, Hæreſeos contagione inficeretur, & ab Eccleſia Romana deficeret, ligna ſe, quibus concremaretur, daturum. Imò indignum ſe Catholici Regis nomine iudicabat, niſi Eccleſiam, quibus poſſet viribus, ſemper tueretur. Atque idem occupato Sancti Quintini in Francia Fano publicè edixit, ne quis ſacris ædibus, Sacerdotibus, Religioſis, Senibus vim vllam inferret; & vt Diui Quintini reliquiæ ſummo in pretio honoreque ſeruarentur. Cùm inter Legatos eius & Chriſtianiſſimi Regis orta de primo conſidendi loco grauiſſima contentio eſſet, videreturque propter eam publicum Eccleſiæ Concilium aut dirimendum, aut, quod Franci optabant, differendum,

*Philippus II. Hiſpaniæ Rex.*

*Herrera in eius vita.* Philippus Legato ſuo Claudio Quinnones Comiti Lunenſi iſta reſcripſit, *Quod ſi hâc cauſâ occaſioneque Concilij progreſſus, & Eccleſiæ Catholicæ defenſio incrementumque pati damnum aliquod debeat, malle ſe cuicunque homini è plebe abiectiſſimo poſtponi, quàm vt Eccleſia vel minimum diſcrimen ſubiret.* Diſceſſurus autem è Belgio Hiſpaniam verſus, non ſemel Proceres Patriæque Ordines, vt Catholicam Religionem conſtantiſſimè colerent retinerentque, & à nouis opinionibus abhorrerent, grauiter admonuit. *Pontus Heuterus.* Morti vicinus pro Regia paternaque authoritate nihil maiori affectu Philippo Tertio filio ſuo commendauit, quàm vt omnibus conſilijs ſuis & armis Catholicam Religionem propugnaret, incolumemque ſeruaret. Ac tum vocem illam vltimam vereque Chriſtianam iam iam moriturus pronuntiauit: *Vnum eſt quod me meritò reficit, & cuius ſolâ contemplatione moriens obleċtor, quod in Catholica fide, Maiorumq; Religione, quod in Catholica Eccleſia, quod in ſupremi Romani Pontificis obedientia morior & conquieſco.*

Quid agis, ô inuidia? quod carpas in tam Chriſtia-

Digitized by Google

Chriſtianis Principibus, non reperies; quod laudes & extollas, abundè habebis. In quos nunc liuidos dentes tuos exeres? An in *Philippum III. Hiſpaniæ Regem?* Nemo vnquam Religioſior Princeps fuit, qui in eo ſummam vitæ ſuæ gloriam ponebat, ſi vel vni tantùm vrbi Diuinæ Maieſtatis cultum Religionemq́ue Catholicam reſtitueret. *An in Albertum Pium Archiducem & Belgarum Principem?* Ne ipſa de eius Religione verè ſincera mentiri fama auderet, & vnum eſt pietatis eius theatrum Belgium vniuerſum, quod illi à pietate cognomen adiunxit. Sed fruſtrà hîc laboro, dum nec ipſi vnquam Auſtriacorum Principum hoſtes de eorum Religionis integritate dubitârint. *Philippus Tertius.* *Albertus Pius.*

Veniamus nunc ad alterum, & quæ bella pro Catholicæ Religionis aut conſeruatione, aut propagatione Gens Auſtriaca geſſerit, oſtendamus. *Bella pro Religione*

Hîc primùm ſe Maximilianus I. Imperator offert. Anno enim M. CCCC. XCII. cùm Turcæ Carniolam, Carinthiam, Styriam, Cilienſemq́ue ditionem miſerrimè depopularentur, & Chriſtianos in ſeruitutem abducerent, arma in eos ſuſcepit, depulit, incurſiones cohibuit, *Maximiliani I.*



Digitized by Google

hibuit, & à Catholicorum ceruicibus Barbarorum iugum auertit.

Caroli V. Secutus Maximilianum eſt *Carolus V.* etiam Imperator, pari animo, ſed maiori gloriâ. Eam gloriam hominum omnium confeſſione tunc adeptus eſt, cùm Solymannum Turcarum Imperatorem, Viennam Auſtriæ innumerabili exercitu aggredi bis auſum vt eâ vrbe, tanquam Germaniæ Arce, expugnatâ, Germaniam primò, reliquas deinde Chriſtianorum Prouincias ſuo Imperio adiungeret, vtrâque vice ſummo cum ipſius dedecore & ingenti Barbarorum editâ ſtrage ita repulit, vt laceſſere Caroli fortunam fortitudinemq́ue vix vnquam ampliùs ſit auſus. Quam ob cauſam Germaniæ & totius orbis Chriſtiani *Conſeruator* eſt appellatus. Cùm autem in Græciam ſeſe innumerabilis Turcarum multitudo effudiſſet, non defuit iterùm Cæſar, qui per Andream Auriam eiectis ſummâ vi Turcis latè per Græciam vniuerſam ſuorum armorum terrorem immiſit, & ad Patras, Methonem, Coronem, trophæa gloriæ immortalis erexit. Ob hanc victoriam Græci Carolum incredibili conſenſu *Græciæ liberatorem* dixère, & paſſim pro eius

felici

Digitized by Google

felici Imperio vota fecêre. An in Cæſare his in bellis prætextus tantùm, ac non verus Religionis affectus fuit? Nihil hiſce bellis ad Imperium ſuum adiecit, Chriſtianos duntaxat magnâ cum ſui nominis gloriâ conſeruauit. Quid dicent inuidi de bello, quod anno M. D. XXXIV. contra Anabaptiſtas in Weſtphalia ſuſcepit? Occupârant illi Monaſterium primam regionis iſtius vrbem, & in ea iam oppreſsâ Religione Catholicâ, Regéque è ſuis conſtituto dominabantur. Sed adfuit Cæſar, & expugnatâ poſt annalem obſidionem vrbe, Religionem in ea Catholicam reſtituit. Quid de Lybico ſeu Tunetano bello? In eo idem Cæſar ſecundis aliquot prælijs vſus, & occupatâ feliciter Arce Goletâ, profligatoque & in fugam verſo Hariadeno Ænobarbo, vulgò Barbaroſsâ, Muleaſſem Tunetanis Regem dedit, Regnum ſibi vectigale, Chriſtianis omnibus amicum fecit, ter ſeptē Chriſtianorum millia è vinculis & duriſſima ſeruitute in libertatem aſſeruit. Hanc ob victoriam Italiæ Siciliæq; ciuitates Carolum, tertium Africanum, poſt duos Scipiones, appellârunt. Sileo quod, cùm ab Arcis Nicenæ expugnatione Ænobarbum per Vaſtium reiecit, inſignem

Digitized by Google

Reipublicæ Chriſtianæ, non alio, quàm publico bono, operam impendit. Illud verò contra Proteſtantes in Germania bellum, cùm tot Principes ac ciuitates Smalcaldico fœdere coniunctæ Cæſari in Religionis cauſa parere recuſarent, non prætextu aliquo, ſed ſolo conſeruandæ Religionis affectu eſt ſuſceptum. In quo victor Cæſar nullam deuictorum Principum Prouinciam aut Imperio, aut Familiæ ſuæ, quod ſummo potuiſſet Iure, ſubiecit. Clementiâ vſus non veterem Germaniæ libertatem ſuſtulit, ſed victos amicitiæ ſuæ reſtituit.

*Philippi II.* Patri Carolo ſucceſſit Philippus Secundus in Hiſpaniarum Regnis & alibi, Ferdinandus frater in Imperio. Atque hic in Pannonia, quantum potuit, Religionem Catholicam aſſeruit; ille plurima pro eius conſeruatione bella ſuſcepit. Et inprimis non exiguum ſummæ in illo pietatis eſt argumentum, quod cùm Mariam Henrici Octaui Angliæ Regis filiam hæredemque vxorem duxiſſet, id egit ante omnia, vt indictis Londini Procerum eius Regni Comitijs, quibus ipſe cum vxore Regina interfuit, Angli à Schiſmate Hæreſique liberarentur, & in gratiam cum Eccleſia Romana redirent.

Interim

Digitized by Google

Interim cùm fatis Regina conceſſiſſet, nihil ſibi in Anglia vendicauit. Eundem Catholicæ Religionis amorem teſtatus eſt, cùm per Garſiam Toletanum Siciliæ Proregem Equites Melitenſes ab oppugnatione Solymanni Turcarum Imperatoris, qui centum ſexaginta octo triremium claſſem Inſulæ admouerat, fortunatiſſimè liberauit. Quid egit tum Philippus Rex, cùm tempore Selymi Turcarum Imperatoris Piali Baſſa Cypro iam occupatâ Cretam cæteraſque in mari Mediterraneo Chriſtianorum Prouincias ingenti ſpe deuoraret? Fœdus cum Pio V. Pontifice Venetiſque percuſſit, & inſtructâ octoginta triremium vigintique onerariarum nauium claſſe Ioannem Auſtriacum fratrem ſuum ſacri huius belli Ducem futurum ex Hiſpania in Siciliam dimiſit; vbi cùm ſibi Venetorum claſſem & Pontificis auxilia coniunxiſſet, ad Echinades Inſulas Turcas aggreſſus, eam generoſiſſimus Dux victoriam reportauit, quâ nulla vnquam de Turcis maior, nulla ad poſteritatis memoriam glorioſior. Neque aliud tum Regi propoſitum fuit, quàm vt immane Turcarum iugum à Chriſtianis ditionibus auerteret. Quid contra Tunetum idem

poſteà

Digitized by Google

poſtea Ioannes Auſtriacus magno Chriſtianorum bono geſſerit, libenter prætereamus, ne ſingula perſequi ſollicitè videamur. Profectò bellum illud, quod aduerſus rebelles quaſdam Belgij Prouincias eſt ſuſceptum, Philippum Regem ab omni calumnia abſoluit. Nam vt verè confiteamur, ſubditos ſuos ad ſuæ Maieſtatis obedientiam, quâ benignitate, quâ armis, reuocare ſtuduit, ſed inprimis Catholicam Religionem in diſcrimen adductam aſſerere deſiderauit. Idem fecit Philippus Tertius obtinentibus tùm Belgium Sereniſſimis Principibus Alberto & Iſabellâ; & idem eodem conſilio hodie Philippus Quartus facit. Adeò in Philippis Regibus reprehendere inuidia nihil omninò poteſt, aut confiteri eadem debet, nunquam ſubditos Rebelles reuocare ad officium fas eſſe. Sed hac de re ſuperiori Capite iam ſatis.

*De militia Chriſtiana.*

*Ita Rex*, inquit Molanus, *verè omnibuſque modis magnus, fortunas omnes vireſque immenſas à Deo acceptas in debellandis Eccleſiæ hoſtibus non inutiliter impendit*. Hanc ob cauſam Pius V. Pontifex Philippum II. *publicæ pacis & Eccleſiæ fulcrum* appellauit. Gregorius XIII. *eius incolumitatem Reip. Chriſtianæ*

*vel*

*vel idcircò neceſſariam iudicauit, quod poſt hunc non alius reperiri Philippus poſſet.* Clemens Octauus autem in ea Oratione, quam in Cardinalium Collegio poſt Philippi mortem habuit, magno cum luctu declarauit, *Quod Rex ille plus ſolus in expellendis ab Eccleſia Hæreticis expenderit, quàm omnes ſimul alij Chriſtiani Reges.* Quid, quod poſt Ferdinandum Catholicum, tum ipſe, tum Carolus eius Parens in Indias & in tot Orientis Occidentiſque Prouincias Religionem Catholicam inuexerunt? Reprehendere id certè nemo poteſt, niſi qui tot Barbaris populis ſalutem, & Eccleſiæ Romanæ ſplendorem inuideat. Laudauit Ferdinandi conatum Alexander Pontifex; laudauerunt Caroli & Philippi labores Pontifices alij, totus Orbis applauſit. Quâ de re quia Capite octauo diſſeruimus, nihil hîc repetere eſt opus.

Enimuerò duo adhuc potiſſimùm bella Frãci vrgent, vnum in Francia, alterum in Valle Telina. In vtroque Religionis prætextu rem ſuam & Imperij amplitudinem Hiſpaniæ Reges quæſiuiſſe contendunt. De illo dictum abundè Capite duodecimo. Nec aliud profectò, quàm



Digitized by Google

Religionis Catholicæ in Regno Chriſtianiſſimo conſeruationem Philippus Secundus ſibi tum propoſuit. Atque idcircò poſteaquam ad Eccleſiæ ſinum abiuratâ Hæreſi Henricus IV. rediјt, pace Veruini conſtitutâ, quas in Francia ciuitates & Arces occupârat, libenter reſtituit. Quod ſi quis adhuc Hiſpaniæ Regum mentem in dubium reuocet, recordetur, quod cùm anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, die Ianuarij decimâ ſeptimâ Henricus Quartus Philippo Secundo bellum indixiſſet, nihil aliud Philippus Martio ſequenti reſponderit, quàm *ſe miſſis in Franciam hactenus auxilijs Religionem Catholicam ſtabiliuiſſe, Hæreſimque debilitauiſſe; in poſterum verò non deſtiturum ſe quibuſcunque viribus Catholicos in Francia iuuare, & Hæreſim potenter oppugnare.*

*Dupleix in vita Henrici IV.*

Quod attinet ad Vallem Telinam, non ignorant etiam illi, qui Hiſpaniæ Regem calumniantur, quàm miſero in ſtatu Vallis iſtius Catholici verſabantur, quomodo opprimebantur, & in quam penè vltimam redacti neceſſitatem erant. Quibus in anguſtijs cùm in alio ſpem ſuam collocare, quàm in potentiſ-

ſimo

ſimo Hiſpaniarum Rege, non poſſent, ad eius Mediolani Gubernatorem querelas ſuas detulerunt, & in tanto diſcrimine ſuo opem implorârunt & impetrârunt. Nam is copias aliquas quamprimum in Vallem iſtam immiſit, & datis ſuppetijs ſupplicantium Catholicorum libertatem aſſeruit. Non intruſa per vim ſunt Regis arma, ſed implorata & vocata; nec à Rebellibus in perfidiæ ſubſidium, ſed à liberis populis ad iuſtum auxilium. Inuidit poſtea Francus hanc Regi Hiſpano Catholicorum defenſionem, & vt eam impediret, quaſi de Orbis Imperio ageretur, vniuerſa commouit. At Rex Catholicus ne tam iuſtis auxilijs noui belli occaſionem dediſſe videretur, quicquid in Valle Telina ſuo præſidio firmârat, Gregorio XV. Pontifici ceſſit, eiuſque poteſtati commiſit. Atque hic Præfectum in ea Valle Marchionem de Bagny, donec omnis deciſa Romæ controuerſia eſſet, conſtituit. Verùm neque hoc Franco placuit, qui non expectato controuerſiæ fine Marchionem de Coeuure in iſtum Alpium tractum intruſit, vt non Iure, ſed vi & armis ortam inter duos Reges difficultatem, neglectâ ſedis Apoſtolicæ authoritate, terminaret.

 Ita

Digitized by Google

Ita cedere tum violentiæ Iuſtitia debuit. Id verò toti terrarum Orbi manifeſtum eſt, nihil aliud Hiſpanum, quàm Catholicorum conſeruationem quæſiuiſſe, etſi interim in eam Vallem non exiguum Ius Mediolanenſes ſibi vendicent, & Religionis Catholicæ afflictus tam multis in locis ſtatus poſtulet, vt per eandem ſecurus tutuſque Hiſpaniæ Regis armis tranſitus præbeatur. Hic eſt enim, ac penè hodie ſolus, qui aduerſus tam potentes hoſtes Sedem Apoſtolicam Romanamque Religionem aſſerit. Sed ſit hîc ſatis bonam eius fidem oſtendiſſe. Nec alia eſt, aut vnquam fuit Ferdinandi Secundi Cæſaris in aſſerenda Religione Catholica ſinceritas, qui non alium ſibi finem, quàm eiuſdem conſeruationem, propagationem, ac ſplendorem, iam ab annis ſeptemdecim, quibus grauiſſimo bello concuſſa Germania fuit, propoſuit. Quippe hoc egit, hoc voluit, vt ex tot Prouincijs, quas Hæreſis contagio paulatim infecerat, eiecta Religio Romana in eas poſtlimio reduceretur; in alijs integra illabataque conſeruaretur; vbique debito ſibi ſplendore floreret. Vt hoc autem conſequeretur, ſuarum Ditionum & Regnorum omnium,
Digitized by Google

omnium, adeóque totius Familiæ ſuæ opes contra armatam Hæreticorum vim, quam conſilio auxilioque Francus fouebat, expoſuit impenditque. Et verò conſecutus fuiſſet, ſi non hic, quibus poterat artibus & armis, glorioſum eius conatum impediuiſſet. Tandem tamen, frendente illo & ringente, conſtitutâ cum Electore Duceque Saxoniæ non ita pridem pace, non tantùm nouâ gratáque tranquillitatis luce Germaniam ſerenauit, verùm etiam (quod illi propoſitum erat) Religioni Catholicæ magnum ſanè attulit emolumentum. Etenim eâ pace hoc inprimis conſtitutum eſt, vt in Germania ſoli eſſe Catholici poſſint, & Auguſtanam Confeſſionem profitentes Lutherani. Alij Sectarij omninò nulli. Deinde verò, Principes omnes Imperij, adeóque ſtatus omnes Catholici non tantùm Ditionibus ſuis reſtituuntur, verùm etiam Catholica Religio in ijs aſſeritur. Accedit quod Bremenſis Archiepiſcopatus, ac cum eo Halberſtadenſis, Mindenſis, Verdenſis, & Oſnaburgenſis ampliſſimi Epiſcopatus Cæſareæ Maieſtati pro Catholicis tantùm deinceps permittuntur. In hæreditarijs Auſtriacæ Familiæ Regnis ac Prouincijs ſola Religio

Digitized by Google

Catholica, quæ ab ipſo Cæſare reſtituta nuper erat, inpoſterum ſtabilitur. Catholicis ad omnes Cathedrales Collegiataſque Eccleſias, etſi illæ in Hæreticorum poteſtate ſint, denuò aditus aperitur; Pontifici Maximo ſuum in ijs Ius certis menſibus conſeruatur; primariarum, vt appellant, precum integra vis manet; Sacerdotia quæcunque, vt obtineri, ita poſſideri vbiuis à Catholicis poſſunt; Cœnobia ſua Religioſi Ordines, inque ijs Poſtulationum, Electionumque Iura retinent, nec impedire, quæ à Sectarijs aliter ſunt conſtituta, poſſunt. Nulla præterea Hæreticorum ſecta vllâ in re prætendere præſcriptionem poteſt; & Catholicis Principibus Statibuſque Religionem reformandi ſuis in Ditionibus libera poteſtas eſt, ac Aulæ Cæſareæ de Eccleſiaſticis bonis iudicandi Ius certum indubitatumque manet. Plura alia ſunt, ſed ipſæ Pacis tabulæ videri poſſunt. Ille Cæſaris Ferdinandi Secundi pro Religione Catholica zelus fuit; illud ſtudium. Affulget ſpes adhuc melior; viuat ipſe, imperet, perennet.

*FINIS.*

Digitized by Google

# CENSVRA.

HÆc Apologia NICOLAI VERNVLÆI, *Regis Catholici Hiſtoriographi, ſolidè refutat ea quæ contra Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam obijci ſolent; neque continet aliquid vel à fide vel bonis moribus diſcrepans. Quapropter eam imprimi debere ac diuulgari cenſeo. Louanij* 7. *Auguſti, Anno* 1635.

ANTONIVS LOVERIVS *S.T.L.*
*Apoſt. & Regius Librorum Cenſor.*

---

# ERRATA.

B*Eneuole Lector, vt ferè ſemper accidere ſolet, hic etiam aliqui errores irrepsère, quos ſic corriges: Pagina* 65. *lineâ* 17. *lege* commemorauimus *pag.* 88. *lin.* 4. *lege* abiectâ. *pag.* 126. *lin.* 16. *lege* Lilerij. *pag.* 127. *lin.* 6. *lege* Arteſiæ. *pag.* 269. *lin. vltima lege* Iuſiurandum. *pag.* 276. *lin.* 5. *lege* pronunciârunt. *pag.* 300. *lin.* 16. *lege* Conſeruator. *Cæteros diligentia tua emendandos committimus.*

Digitized by Google

Digitized by Google